DE IMMORTALITATE ANIMÆ HUMANÆ VERITAS

(Quæ totius Vitæ Christianæ est Basis)

Multifariis Quæstionibus

(Elenchum earum exhibet pagina immediatè Prologum antecedens.)

PROPUGNATA & ILLUSTRATA.

AVCTORE

R. P. Georgio Gengell Societatis JESU Theologo.

CALISSII,
Typis Collegii S. R. M. Societatis JESU, ANNO 1727.

Ibit homo in domum æternitatis suæ.
Ecclesiastæ Cap. 12. versu 5.

Revertatur pulvis in terram suam, unde erat; & Spiritus redeat ad DEUM, qui dedit illum. *Ibidem versu 7.*

Nolite timere eos (*inquit Christus Dominus, Matthæi c. 10.*) qui occidunt corpus, Animam autem non possunt occidere.

PERILLUSTRI

&

REVERENDISSIMO DOMINO

D. JOANNI

De Gałczyno

GAŁCZYNSKI

Ecclesiæ Metropolitanæ Gnesnensis

CANONICO.

ARCHIDIACONO & OFFICIALI

Calissiensi

PRÆPOSITO Białcensi

In Calissiensi Societatis JESU Collegio Sacræ Theologiæ Scholasticæ

FUNDATORI.

DOMINO & MECÆNATI BENEFICENTISSIMO.

IMmortalitatem Animæ Orthodoxam Tibi subscribo, qui immortalibus Fastis notanda præstas. PERILLUSTRIS & REVERENDISSI-

me Domine. Humanissimæ Tuæ Menti, humanæ Animæ dedico Immortalitatem, quâ, non moriturae Famæ, Virtutis ac Eruditionis Tuæ perennet Gloria. Immortale nonnisi merentur Elogium grandia Vitæ optimæ Exempla, Æquitas incorrupta, fatorum vincens injurias aurea Liberalitas, ferreo licèt sæculo, in Literarum Athenas providentissima, in decora Templorum Sacerrima Munificentia, universa deniq; rectefactorum argumenta, abundè probant, non temporum spatiis, sed æternis encomiis facta Tua celebranda. Definito annorum calculo nihil penitus debet integerrima Vitæ Tuæ Bonitas, Officiosissimi cultus pulchritudo, Genii generosissimi Majestas, Mentis perspicacissimæ agilitas, altissimi sensûs subtilitas, intima Consiliorum penetratio, cunctæ istæ immortalis Gloriæ Tuæ, egregiæ dotes sunt. Præterquam, quòd liberalissimè divisa Beneficentiæ Tuæ profusio, indivisibilitatem igno-

ignoret. Nisi parcerent modestiæ Tuæ, loquerentur elingues licet Ecclesiarum Aræ, Łovicense, Calissiense, plurimos per annos Uniejoviense &c. Sanctuarium, multaq; alia tempore ac calamô minimé circumscripta Ædium Sacrarum penetralia, Narrarent nobis de Te illa, quæ immortalitatis fastos inaurare possent. Nola hæc grandis, quam Calissiensi Templo de sonantissimo fudisti ære, retróàcta etiam sæcula in Tui revocat Elogia, classicumque intonat, quô Ecclesia Militans animetur, superna triumphet, immortales verò Fidelium Spiritus de Tuo suffragante, vivant stipendio, flammîsque piacularibûs, ære campano redimantur. Taceamne? quòd intra præfati Calissiensis Augustal Templi, Gazophilacium, idest, piæ munificentiæ Regiam erexisti, in qua Gazarum instar omnium, Tu ipse. Quare supremi Regni hujus Proceres, Ecclesiarum Principes, ita pretiosas Animi Tui dotes

tes æſtimant, ut Te de Chriſti & Literarum Republica meritiſſimum, velut Gemmam Rationalis ſui, ubique circumferant, ac magni Nominis conſignent immortalitatem. Anne ignoramus? cur antea Celſiſſimus Ille Regni Primas, Ille Immortalis Poloniæ Spiritus, Stanislaus Szembek, nunc verò Vice-Regia Poloniarum Majeſtas, ſæculi noſtri Decus ac Robur, Theodorus Potocki, cur (inquam) Te pænè inſtar Monilis Archi-Præſulei appretiet, pronum eſt colligere: Nam rectè factis eminere debent, quos Magnæ amant Animæ. Nimirum, quia Tu Honoris ac Officii Tui Spiritualis Vita es, ideo quaſi unicam Te Animi Gemmam Sacer ac Profanus noſter Orbis æſtimat. Debet Tibi Vitam Sanctioris Areopagi Corpus integerrimum, namque indemnis Juſtitia non meliùs vixerat, Juſtinianó, Gratianô, animante. Æquitas iniqua nemini: Porro quàm perſpica-

caci prudentia summè ardua penetras, ac componis negotia, quàm feliciter ambiguas dirimis causas, quomodo discordes Nobilitatis Animos, suavi & forti tranquillas arbitriô, adeo ut populariter ubique felix Pacificator audias: hæcque publica Fama non cessaturæ Gloriæ Tuæ vivet immortalitate, O quàm vivax Templorum, Lycæorum Anastasis de Tuæ solicitudinis resurgit Industria! Et quidni fas omne honorque inclytus perenniter reviviscat, Illustrissimo Sidere Tuo propitiè affulgente: hoc Gentilitium sidus Tuum Ursâ majore longè majus, Purpureas Senatorum Curules, totque Nobilissimorum Sago & Togâ dignissimorum Procerum, optimè de Reipublicæ Polonæ Statibus meritissimarum Mentium, hoc, inquam sidus, faustissima Patria est, in qua continua bene meritorum serie nascatur ac renoscatur immortalis Boni Publici felicitas. Ast supra cætera, nos Me-

cænas

cænas Beneficentissime, Vitam experimentalem, imò altissimam, quia Theologicam à Tui sideris Cœlo derivamus. Inspirasti Divinum pænè Animum sublimi huic Sapientiæ, dum Calissiensis Theologiæ Primus Conditor exstitisti. Dedisti immortale Gloriæ Tuæ argumentum, dum illam Scientiarum Principem, munificè animasti, quæ cum Orthodoxa immortalitate Animæ Fundatoris sui æternè gratam profitebitur perennitatem. Ita spondet

PERILLVSTRI & REVERENDISSIMO

NOMINI TUO

Devinctissimus

GEORGIUS GENGELL

Societatis JESU.

APPROBATIO

Librum cui Titulus: *De Immortalitate Animæ Veritas propugnata &c.* Magna eruditione, nec minore ſtudio conſcriptum ab Admodum Reverendo Patre Georgio Gengell Soc: JESU, doctiſſimo Theologiæ Scholaſticæ conſummato Profeſſore, ac plurimîs Lucubrationibûs jam antea in publicam utilitatem editîs, probatiſſimo, quoniam Fidei Orthodoxæ, & bonis moribus minimè adverſatur, (quin potiùs ſalutarem & ſummè neceſſariam doctrinam continet, eximiè propugnatam & illuſtratam) Auctoritate mihi à Celſiſſimo, Excellentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino Theodoro Potocki, Archiepiſcopo Gneſnenſi, Legato Nato, Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithvaniæ Primate, Primoq; Principe conceſsâ, dignum cenſeo, ut ad ſpirirituale omnium emolumentum, Typis mandetur. Datum Caliſſii, 16 Novembris. Annô 1726.

JOANNES GAŁCZYNSKI
Canonicus Gneſnenſis, Archidiaconus & Officialis Caliſſienſis.

b

FACULTAS

R. P. Præpositi Provincialis Soc. JESU per Poloniam.

Cùm Opus, quod inscribitur: *De Immortalitate Animæ humanæ Veritas propugnata &c.* Auctore P. Georgio Gengell S. J. Theologo, aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, potestate mihi facta ab A. R. P. Nostro MICHAELE ANGELO TAMBURINO Societatis Nostræ Præposito Generali, facultatem concedo, ut Typis mandetur, si iis ad quos pertinet, ita videbitur. In cujus fidem has literas manu mea firmatas & sigillô munitas dedi, Calissii 24 Octobris, Annô 1726.

MARTINUS TRAMPCZYNSKI
Societatis JESU.

ELENCHUS QUÆSTIONUM
In hoc Libro contentarum.

QUÆSTIO I. Gentes, tam aliquâ politiâ utentes, quàm Barbaræ quidnam olim senserint, & sentiant nunc de Animarum Immortalitate? *foliô* 1. *& seq.*

II. Gentilium Philosophorum, nec non aliorum Veterum sapientum fuitne sententia communissima, Animas esse immortales? *fol.* 8. *& seq.*

III. Quinam negârunt immortalem esse Animam humanam? *fol.* 12. *& seq.*

IV Certumne est secundùm Fidem Christianam, Animam humanam esse immortalem? *fol.* 16. *& seq.*

V. Ex Providentia & Justitia Divina, desumiturne Argumentum efficax pro Immortalitate Animæ humanæ? *f.* 24. *& seq.*

VI. Ex Bonitate & Benevolentia Divina: Item ex eo, quòd DEUS Optimus Maximus sit Finis ultimus hominis, an inquam bene infertur, Animam esse Immortalem? *f.* 29. *& seq.*

VII. An ex ipsa natura Animæ humanæ, ejusquè proprietatibus & Operationibus, modoquè agendi, rectè deducitur ejus immortalitas? *fol.* 34. *& seq.*

VIII. Desumine possunt Argumenta sat Valida pro Immortalitate Animæ, ex Consensu Gentium, & ex Qualitate Personarum, eam negantium? *fol.* 44. *& seq.*

IX. Ab ipsis mortuis, suntne etiam desumibilia efficacia Argumenta pro Immortalitate Animæ? *fol.* 47 *& seq.*

b2 Quæstio

QUÆSTIO X. An ex eo etiam evincitur Immortalitas Animæ, quòd negata immortalitate ipsius, sequatur aliquod, vel multa inconvenientia: & quænam illa? *fol.* 63. *& seq.*

XI. Suntne adhuc Rationes, præter superiùs recensitas; & quænam illæ, ad probandam Im̃ortalitatem Animæ? *fol.* 68. *& seq.*

XII. Qualisnam Immortalitas convenit Animæ rationali? an Essentialis, an Naturalis, an Gratuita? *fol.* 73. *& seq.*

XIII. Quænam contra Immortalitatem Animæ, adferuntur Objectiones, à Plinio, Panetio, & Lucretio? *fol.* 75. *& seq.*

XIV. Quænam ab aliis Epicureis, vel Atheis opponi solent adversùs Immortalitatem Animæ? *fol.* 82. *& seq.*

XV. Quàm grave sit peccatum, absolutè negare Animæ Immortalitatem? Item. An, qui vel de ea dubitat, est Hæreticus? *fol.* 93. *& seq.*

XVI. Quàm impii & insipientes fuerint Epicurus, Sardanapalus, Averroes, Sadducæi; & sub Nomine Christiano longè pejores Gentilibûs, Cardanus, Machiavellus &c. negantes immortalitatem Animæ? Item. Multine fuerunt alii, & sunt ejusmodi, in Regnis, & Provinciis Christianis, qui censuerunt, & censeant, Animam simul cum Corpore interire? *fol.* 96. *& seq.*

XVII. Quænam præcipuè peccata disponunt proximè ad hanc impietatem, ut quis credere possit, Animam suam interire simul cum corpore? *fol.* 103. *& seq.*

XVIII. Doctrina Cartesii, ejusque Asseclarum, multùmne conducit ut accedatur ad impium errorem de Animæ mortalitate? *fol.* 107. *& seq.*

XIX. Ad nonnulla Quæsita dantur Responsiones, quæ conducunt ad confirmandam, & illustrandam veritatem de immortalitate Animæ. *fol.* 109. *& seq.*

XX. Quænam tandem consideranda sunt immortalitatis Animæ Oppugnatoribus; censenturquè idonea, ut resipiscant? *fol.* 116 *& seq.*

Ad M. D. Gloriam.

PROLOGUS.

ANte decenniũ, pro Existentia Dei T.O.M. adversùs summè execrandos Atheos conscripseram & impresseram Volumen, cui titulus *Eversio Atheismi*. Complectitur illud Volumen Libros duos. In Primo. Fundamenta quibus Atheismus innititur, recensentur ac evertuntur. Nec non Argumenta supra quadraginta proponuntur, Atheismi eversiva. In Secundo Libro. Expenduntur ad Veritatis lancem Argumenta, quibus Theodorus Abucaras, Divus Anselmus, Antonius Perez, Esparza, Morinus, & Cartesius subruere nituntur Atheismum. Item, Doctissimorum novem Veterum Philosophorum: Sapientissimorum etiam duodecim Patrum Rationes validæ referuntur, Atheismi eversivæ.

Nunc verò præcipuè contra impios Epicureos, id est, contra illos qui admissâ Existentiâ DEI, Immortalitatem Animæ humanæ diffitentur (quorum non exiguus fuit numerus retròactis seculis; ut constat ex Quæstione III. & utinam solummodò longè retròactis!) præsentem conscripsi Lucubrationem: idque præstiti ex ijsdem ferè motivis, ex quibus conscriptum fuerat Volumen suprà nominatum. Scilicet 1. Ut verus Christianus Lector, magis, ac magis roboretur & confirmetur in hac de immortalitate Animæ inconcussa Veritate, quæ Basis & Fundamentum est Vitæ Christianæ, nemo enim potest Vitam Christianam probè instituere, nisi qui æternam cognoverit, Animamque su-

Motiva recensentur conscribendi hunc Librum.

am esse immortalem. Vide dicta infra sub Quæstione X. 2. Ut habeantur in promptu Argumenta ad Epicureos, erroris convincendos, repellendaque adversantia Veritati huic tentationum pericula, quæ aliquando illuminatæ etiam Christianorum Mentes patiuntur. 3. Ut, si fortunâ aliquâ liber hic in manus alicujus Epicurei, vel saltem alicujus positivè Dubitantis de immortalitate suæ Animæ deveniat, is ab impio errore suo, faciliùs revocari queat. Porro, postremum hoc ut efficaciter præduce Numinis favore fiat: præstanda ei sunt illa, quæ etiam in Prologo *Everfionis Atheismi* annotavi. Nempe, *Primò* Ante Lectionis arreptam voluntatem ulteriorem, tantisper saltem exuat se persuasione erronea, ponatque se in æquilibrio atque in eo statu, ac si modò primùm hæc Quæstio. Anima humana estne Immortalis? proponeretur, ipseque primò mente volveret, quid respondendum foret, intenseque petat à DEO illustrari. *2dò.* Excitet in se flammans desiderium, id, quod lecturus est, penetrandi; cùm aggrediatur rem gravissimi momenti: nec simul plura legat, quàm valeat ruminando concoquere. Indicem si solùm legerit, aut in marginibus annotata, non simul se penetrasse omnia, sibi persuadeat: multa enim reperiet legendo Librum hunc integrum, quæ hucusque ignoravit. *3tiò.* Quod intensissimè desidero, abstineat saltem aliquo temporis intervallo, per unam ad minimum & alteram septimanam à gravioribus criminibus, maximè à quacunquè specie luxuriæ. Nebulæ enim ex vitiis, præsertim ex cæno libidinoso assurgentes, intercludunt hominibus rerum ad salutem æternam spectantium seriam cognitionem. Estquè Luxuria effrenis, Gradus proximus ad Epicureismum, & in eo persistendum. ut patet ex dictis infra sub Quæstione XVII. à folio 103 ad folium 106.

Ut fructuosè legatur etiam ab Epicureo, quid nam ei præstandum?

Utinam verò ex Lectione hujus Libri, prælucente ac adjuvante Divino Lumine, saltem aliqui, magìs & magìs, clarè cognitâ Animæ suæ Immortalitate, saluberrimè excitentur ad Eam æternùm salvandam! Item, Utinam vel unus Epicureus, aut positivè dubitans, seriò resipisceret, & ita salvaretur! O quantum

Auctoris Desiderium.

tum inde ad extra Gloriæ Divinæ accederet incrementum! necnon innumeræ horrendæ offensæ Divinæ impedirentur! Receptissimum enim est Sanctorum Patrum, & Theologiæ placitum; Eum qui salutis Animæ unius, causa est, plus afferre Gloriæ & laudis ad Divinam Majestatem, quàm hæc reciperet, ab omnibus actionibus virtuosis consideratis in se ipsis, quæ factæ sunt fientq; ab hominibus omnibus, ab initio Mundi, usquè ad finem ejusdem. Item, qui suo labore & studiô efficit, ne Anima una labatur in infernum, is impedit plures offensas, quàm ab initio Mundi usq; ad diem Judicii commissæ sunt. Ratio utriusque est sat clara; quia nempe bonum & malum, quod homines toto hoc sæculorum decursû committere possunt, finitum ac limitatum est: jam verò Laudes, quas panget ejusmodi Anima in Cælis locata, & blasphemiæ quas evomet damnata in inferno, infinitæ sunt, quia finem nullum habituræ.

Adversio Notatu dignissima.

Ast forsitan Opponet quispiam. A plurimis Scriptoribus jam antea superabundè etiam, immortalitatem Animæ propugnatam esse? Respondeo. Quid tum? Minimè id me à scribendo absterrere debuit. Tum quia (loquor verbis S. Augustini lib: 1. de Trinit. Cap. 3.) *Non omnia quæ ab omnibus conscribuntur in omnium manus veniunt, & fieri potest, ut nonnulli, qui etiam hæc nostra intelligere valent, illos planiores non inveniant libros, & in istos saltem incidant: ideo utile est, plures à pluribus fieri diverso stylô, non diversa Fide, etiam de Quæstionibus eisdem, ut ad plurimos res ipsa perveniat, ad alios sic, ad alios autem sic.* Tum quia ex illis plurimis scriptoribus, pauci sunt, qui hanc materiam tractent in uno libro separato; ordinariè enim hæc materia de Immortalitate Animæ, continetur in vastis Voluminibus Philosophicis & Theologicis, conjuncta cum aliis speculativis; plurimùm sæpè arduis materiis, quæ primô illico intuitu, non solùm à se repellere videntur ignaros Philosophiæ ac Theologiæ: verùm etiam ipsa sua vastitate, quandoque & profunditate, quodammodo deterrent etiam licèt doctiores, alios à legendo, alios à coëmendo. Tum quia pauci item sunt scriptores, qui nec nimiùm

Ad Objectionem Respondetur Demonstrando minimè obesse, quòd jam antea in plurimis libris propugnata sit immortalitas Animæ.

mium compendiosè, adeoque minimè clarè, ac fundamentaliter; nec ex uno aut altero tantummodo fonte, sed ex pluri-mis, distinctè item & enucleatè referant Argumenta, unà cum subversione Rationum, quibus Epicurei suum infundant errorem. Tum (præter alia) quia ex illis plurimis scriptoribus, sunt aliqui, (imò forsan multi) qui longè adhuc veriùs, dicere possent de suis hac in materia conscriptis Libris, quod dixit S. Augustinus lib: 1. Retractationum. Cap: 5. *Scripsi* (inquit) *librum de Immortalitate Animæ, qui ratiocinationum contorsione atq; brevitate sic obscurus est, ut fatiget, cùm legitur, etiam intentionem meam, vixq; intelligatur à me ipso.* Tum quia materiæ hujus tanta est præstantia, ut Posteris etiam aliquid novi addendum supersit.

Concludo Prologum iteratô ardentî desideriô, scilicet. Utinam Verus Christianus Lector desumptâ etiam ex lectione hujus Libri clarâ notitiâ de Immortalitate suæ Animæ, excitetur intensè ad eam æternùm salvandam: Epicureus verò, cognito nefando errore, seriò resipiscat & salvetur. Fiat. Amen.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

Gentes, tam aliquâ politiâ utentes, quàm barbaræ, quidnam olim senserint, & sentiant nunc de Animarum humanarum immortalitate?

I.

RESpondeo. Constans fuit apud totam Antiquitatem omnium Gentium sensus, & nunc etiam est in omni Republica, in omnibus Regnis, est inquam omnium Nationum sensus, Animam, post mortem Hominis, superstitem esse, & immortalem. Licèt huic veritati de immortalitate Animæ, admiscuerint pleriq; Gentiles multa fabulosa commenta. Nam inter cætera (de quibus infra Numero. 5. 6. 7. 8.) credebant, Animas è Corpore solutas adduci

Animam humanā esse immortalē censuerunt Gentiles etiam olim.

----- *Lethæi ad fluminis undam.*

ubi *Securos latices & longa oblivia potant.*

Virg. Æneid. 6.

Degustare autem ex hoc fluvio Animas ob hunc finem asserebant, ut omnium, quæ in mortali vita agebant, vel patiebantur, oblitæ, rursus subire Corpora non vererentur, in quibus ingentia mala toleranda essent; atq; dum ex Campis Elysiis iterum in terras revertebantur, pariter illas Lethæum ad fluvium evocari, asserebant,

------ *Agmine magno,*
Scilicet immemores supera ut convexa revisant.
Rursus & incipiant in corpora velle reverti.

Atquè hinc est, (dicebant) quòd nemo recordetur, quid sua Anima antea egerit, ubinam locorum versata fuerit, quæ corpora, & quoties jam incoluerit?

Scilicet Romani. 2. Jam prima, & principalis nostræ Responsionis Pars, Probatur, incipiendo *à Romanis*, apud quos communem fuisse omniũ consensum, Animas post mortem superstites, testatur Princeps Oratorum Cicero. *Lib.* de Amicitia. *Neq; enim* (inquit) *assentior iis, qui nuper hæc disserere cæperunt; cum Corporibus scilicet, Animas simul interire, atq; omnia, Morte deleri. Plus apud me valet nostrorum Auctoritas vel nostrorum Majorum, qui mortuis tam Religiosa jura tribuerunt; quod non fecissent profectò, si nihil ad eos pertinere arbitrarentur; vel eorum, qui in hac vita fuerunt, magnamq; Græciam, institutîs, & præceptîs erudierunt; vel ejus, qui Apollinis oraculô, sapientissimus est judicatus* (Socrates) *Qui tum hoc, tum illud, ut in plerisq;, sed idem dicebat semper, Animos Hominum esse Divinos, iisq; cùm ex corpore excessissent, reditum ad Cælum patere,*

Galli. *De Gallis* olim Gentilibus, Valerius Maximus lib: 2*do* capite *imo* ita scripsit: *Vetus mos Gallorum occurrit, quos memoriâ proditum est, pecunias mutuas, quæ iis apud inferos redderentur, dare; quia persuasum haberent Animas Hominum immortales esse.* Non absimilia refert de illis Julius Cæsar Lib: 5*to*. Comment:

Gothi. *Inter Gothos*, cùm adhuc inter eos Idololatria vigeret, eadem fuit opinio. Nam ut testatur Joannes Magnus, Gothus, *Lib. 1.* Hist: Gothicæ *cap. 13.* Mori se non putabant, & dicebant eos qui hac vitâ functi essent, in alium quempiam amæniorem locum demigrare, in quo DEUM quendam, Bleixem nomine, præsidere affirmabant, ad quem assiduè cum nave quinque remigũ, unum mittebant ex se ipsis sorte delectum, præcipientes, ut ea quibûs indigerent à Numinis liberalitate impetrarent.

Persæ, Macedones. 3. *Persæ & Macedones* immortalitatem Animæ professi sunt, ut sat clarè constat ex eo, quòd Cyrus Rex Persarum, apprimè in utriusque Populi, & Macedonum & Persarum disciplinâ eruditus, (ut scripsit Xenophon lib. 1 Cyripediæ) immediatè ante mortem sic Filios allocutus est: *Nolite arbitrari ô mei Charissimi Filii, me, cùm à vobis discessero, nusquam, aut nullum fore.*

Nec

Nec enim dum eram vobiscum, animum meum videbatis, sed cùm essem in hoc Corpore, ex his rebus quas gerebam, intelligebatis. Eundem igitur esse intelligite, etiamsi non me, si nullum, videbitis. Nullo modo ergo Filii, ne hoc quidem mihi ùnquam persvasi ut animus vivat, donec fuerit in Corpore mortali, Cùm verò ab hoc solutus fuerit, moriatur. Video enim per illum, Corpora mortalia, quãtum temporis in his sit, præstare. Neque sanè animus, meâ sententiâ, stupidus est, atq; inspiens, cùm separetur à stupido, insipientiq; corpore; sed cùm mens vera, ac pura ab eo discreta fuerit, tum etiam consentaneum est, ipsam maximè & vigere & sapere. Cùm verò Homo dissolvitur, minimè obscurum est, abire singula ad cognatam speciem ac suam, animô tamen exceptô, qui solus tamen neq; dum adest, videtur. Cogitate præterea nihil esse morti, somnô similius, & hominis animùs tunc maximè Divinus perspicitur, & tunc futurorum aliquid prospicit; in somno enim, ut videtur, maximè liber redditur. Hæc Cyrus, ut tradunt Xenophon lib. 8. ejus institutionis: & Cicero de senectute.

4. Turcæ immortalitatem animarum prædicant in sua lege, quam Alcoranum nominant, passimq; per singulas Azòáras, seu capita, eam decantant, & docent, potissimum Azòárâ 1. 2.3.17. sicut etiam & Resurrectionem generalem Corporum confitentur, & rationibus multis probant, cum judicio unversali Omnium viventium & mortuorum, venturo. Azòárâ 23. 24. 54. 57. *Idem censent Turcæ.*

De Thracibus scribit Herodotus Lib. 5to. eos nõ in nativitate, sed in obitu lætari solitos, quòd tunc Animam à malis vitæ liberatam, & in felicitatem transiisse, & ita fortunatiùs post mortem vivere, existimarent. *Thraces.*

Arabes quid hoc in passu sentiant, colligi potest ex Avicenna Arabe, qui *5ta* parte Naturalium, hæc habet. *Cùm Anima liberabitur à corpore, & ab accidentibus corporis, tunc poterit conjungi Intelligentiæ agenti, quam vocant, DEUM.* *Et 6ta* parte dicit. *Anima à Corpore separata, clariùs videbit veritatem, quàm conjuncta.* *Arabes.*

Ægyptii. *Ægyptios* asseruisse Animarum immortalitatem, testatur Herodotus *lib. 2do.*

Vibere anim. à mortuo corpore sentiunt. 5. *Guinea* est amplissimum Regnum in Affricæ ora occidentali, in quo est ingens multitudo hominum; ibi fert Gentis consuetudo, ut Rege mortuo, equum regium, familiæq; par-*Guinenses* tem optimam perimant, ne Rex mortuus, equô scilicet Famulisque destituatur. Principumque Uxores ad eorum tumulos interficiuntur. Ita testantur Patres Missionarii Societatis JESU, qui ad illud Regnum excurrerant; ut refert Pater Juventius Societatis JESU *lib. 22.* Partis quintæ, Historiæ Societatis JESU, foliô 690.

Japones. 6. *Japones*, Animas esse etiam immortales censent; ut patet ex novissimis relationibus Patris Bernardini Ginnari Societatis JESU in suo Xaverio Orientali, parte prima, Lib: 2do. Cap; 13. quod ipsum ex eo constat; quia ut locô citatô refertur, Japones persuasi erant, Paradisum Amidæ DEI sui distare à Japonia triginta millionibus Leucarum, adeoq; Animas corpore solutas, minore temporis spatio illuc pervenire non posse, quàm annis tribus, ut illi solent asserere. Interea, tum longo cursu, tum viarum molestiis adeò fatigari, ut identidem in viventium domos deflectere debeant viribus reficiendis, quibus proinde, ut omne humanitatis genus declararent Japonii, Festum in Mense Augusto instituerunt, nocte, diem hanc festivam antecedente, plurimas lampades præ foribus accendunt, ut vias illuminent; atria & postes quantùm possunt exornant; circa medium noctis, plateas obeunt, tanquam advenientibus Animabus obviam procederent, die verò festâ, omnes ex Urbibus exeunt ad quẽdam vicinum locum, ubi credunt, spiritus illos convenire; ibi mensam epulis instructam apparant, & tanquam adessent invitati, verbis humanissimis eos salutant, & ad cibum sumendum invitant. Post brevem moram, quando aliquid quietis, Animas illas cæpisse, & fatigatos artus epulis refecisse existimant, ad domos proprias eâdem benevolentiâ deducunt, ubi novam mensam in mo-

dum

dum Altaris erigunt, ferculis oneratam more Antiquorum Romanorum (quos taxat Divus Augustinus Sermone 15. de Sanctis) hæc Convivia, dies geminos durant, quibûs exactîs, velut hospites illi, iter cæptum resumere & ad Amidæ Paradisum pergere velint, quisque ex domo sua abeuntes accensa face prosequitur, & ad certum locum deductas, dictô amicissimô, vale, cum lacrymis relinquit, & domum reversus, tectum, caminum & quovis angulos diligenter excutit, clamoribus & strepitu complens omnia, si forte aliqua anima, vel viarum incommoditate deterrita, aut amore Consanguineorum illecta, ibi hæserit, ut tali ratione abigatur. Obstupesco, audîsse me aliquoties conquerentes Christianos, quòd iis credendum proponatur, quod sensu non percipiunt; an non condemnabunt eos in die Judicii hi Japones, qui Bonziorum suorum suasu, absque tot argumentis, quibùs nos ad assentiendum inducimur, cæco impetu feruntur in rem, quam nulli hactenus videre contigit! quàm vivax fides hæc esse debet, quæ cum Animabus agit, tanquam præsentibus! quas tamen adesse nullum indicium probat.

7. *Siamenses*, (ut referunt de iis novissimæ Patrum nostrorũ Relationes, jussu Ludovici XIV. Galliarum Regis editæ aliiq; scriptores graves.) Eandem de vita futura opinionem tenent; putant enim hominis demortui Animam, pro suis demeritis, vel inferno adjudicari, quem in terræ centro constituunt; vel pro meritis, Paradiso adscribi, quem collocant ultra supremum Cælum: vel deniq; ad corpora brutorum animantium destinari. *Siamenses.*

Triplicem hunc animarum statum non esse censent perpetuum, sed sæpiùs iterum ac iterum in Mundum renasci, cum hoc tamen discrimine, quòd Cœlestes Animæ dum Corporibus rejunguntur, in præmium rectefactorum vitæ præteritæ nascuntur cum magnis dotibus, ingeniô, virtute, Fortunâ & successu ætatis, beantur divitiîs, & honoribûs, atq; ex hac ratione summum honorem tribuunt Regibus, ac Principibus, eorum enim

animas, jam ſæpiùs è Cælo renatas, proximè æternùm beatificandas eſſe, ut ampliùs ad nullum corpus redeant, neq; hujus vitæ miſeriis ſubjaceant; Animas verò ex animantibus egreſſas ſubire Animas egentium, ac mancipiorum; ſi tamen in hoc ſtatu virtutes conſectentur, fieri poſſe, ut ad Cælum, ſaltem poſt aliquot renaſcendi vices, promoveantur, ſed illas Animas, quæ ex inferno rurſus in hanc vitam prodeunt, ſceleſtas eſſe; quæ proinde omnibus infortuniîs, & tam corporis quàm Animi defectibus puniantur. Connotandis verò earum facinoribus, dicunt eſſe in Inferno Angelum Cenſorem, qui prægrandi volumine cujusque mortalis geſta continuò relegit, & ubi ventum eſt ad illam paginam, in qua hujus certæ Perſonæ vita continetur, id eam ſentire, atq; ob id ſternutare; unde profluxit mos (inquiunt) ſternutantibus ſalutem vovendi. Hæc Siamenſes, & multò plura alia, quibus immortalitatem Animæ, & ſtatum poſt fata novum, approbant.

Chinenſes. 8. *Chinenſes* (ut refert Vayer in ſuo de immortalitate diſcurſu) ſolent moribundis literas commendare, quas in Regno Lunæ, ſuis amicis legendas referant: licèt nonnulli Africani putent demortuorum Animas, in Cælum ſolis, migrare, ibique æternùm degere. Imperator item Sinarum, preces, & vota quæ inter ſacrificandum concinit, ſic concludit. *Supremus Dominus juſſit, & factæ ſunt tres Mundi partes præcipuæ, Cælum, Terra, & Homo. Ego ſubditus ſupplico, ut quorum Nomina hìc adſtant, Progenitorum Imperatorum defunctorum, iis detur æternùm frui beatâ tuâ præſentiâ in regia, & cæleſti Aula.*

Americani. In America tam Auſtrali, quàm ſeptemtrionali, eadem opinio viguit, & viget de immortalitate Animarum.

Canadenſes, & *Hurones* pollicentur ſibi poſt mortem ædes ſupernas, & continuam inter hortos amæniſſimos in medio ſtellarum ſitos, deambulationem: ut narrat Sigard *Cap. 18.*

Ex dictis Conſiderationes duæ inferuntur. 9. Ex dictis in hac Quæſtione, *Infertur imò.* Toti retrò Antiquitati perſvaſum fuiſſe, Hominis Animam poſt fata ſuperſtitem

ſtitem, alicubi vitam immortalem degere; licèt variis circa id erroneis opinionibus abducti Gentiles, non illuceſcente adhuc Evangelii Luce, è tenebris ſe evolvere non potuerint; & quamvis ipſam veritatem de immortalitate Animarum tenuerint, quid tamen in manibus haberent, dicere exactè nequiviſſe, cæcorum more, qui licèt contrectent parietem, eum tamen domeſticus ne ſit, an alienus, albusne an niger, diſcernere non valent.

10. *Infertur 2dò.* Nulla ſecta magìs alteri ſectæ nunc opponitur, quám Ethniciſmus Chriſtianiſmo; & tamen uterque convenit in adſtruenda immortalitate animæ. Ergo ita eſt tenendum. Habet hìc locum illa Henrici IV. prudentiſſimi Galliarum Regis ratiotinatio, quâ, abjuratô Calviniſſimô ad Catholicorũ partes tranſiit, quia nempe audierat, tam Calvini Miniſtrum, quàm Romanum Sacerdotem, in hoc conſenſiſſe; quòd ille, ideſt Rex, in Fide Catholica ſalvari potuerit; è contra autem, quòd Calvini dogmata ſequens, beatitudinem æternam eſſet adepturus, ſolus Hugonothus, aſſeruit. Itaque credendum potiùs (inquit Rex Henricus) duobus, quàm uni, qui in cæteris diſcordes, in re tanti momenti, qualis eſt ſalus Animæ in fide Catholica, conſenſerunt.

11. Sed audire mihi videor, ex Epicureis nonnullum, iſtud mihi oggerere? Quòd nimìs infirmum Argumentum ſit Barbarorum opinionibus innixum; eô enim ipsô, quòd Barbari in Animæ immortalitatem conſpiraverint, à recta ratione alienam videri; ſicùt nemo Antropophagiam approbat, hoc eſt, appoſitas in cibum humanas carnes; pariter quoque damnat vagam libidinem, vel ex eo ipſo, quòd inter Barbaros reperiatur. Ita eſt Amice, damno illas dapes, & execror venerem legibûs matrimonii non adſtrictam, damno inquam, non ex eo capite, quòd inter Barbaros reperiatur, ſed quòd reperiatur inter ſolos Barbaros. Quis enim ignorat, aliqua vitia ita Barbaris propria eſſe, ut ea animus Divinis humaniſque legibus inſtructus, omnino *Objectio in contra diſſolvitur.*

rejici-

rejiciat? Sed sensum immortalitatis solane Barbaries admittit? nunquid illum Lex aliqua aut divina, aut humana unquam prohibuit? quin potiùs, nunquid illum sensum non omnis ratio rectè constituta, semper asseruit? Quòd autem ad Barbaros quoque hæc sententia perrexit, inde est: quòd hanc ultimam post omnia humanitatis indicia, Barbari retinuerunt, & missîs in exilium cæterîs virtutibûs, hanc solam relegare nequiverunt. Non nata hæc opinio, aut veriùs sententia, Errore Patre, Barbarie Matre, ut Antropophagia, vel vaga libido, sed ex fide Divina, Barbaris, antequam Barbari essent, à Patribus suis, vel ab aliquo ex tribus post diluvium Patriarchis, Nòemi filiis; aut ejus Nepotibus, à quibus (ut ait scriptura Genesis capite 10) *divisæ sunt Insulæ Gentium in Regionibus suis*; vel ultimatò per ipsam rectam rationem iisdem proposita est Gentibus. Dicere enim fortè non possumus, quòd illi Barbari, præsertim in America, hauserint hanc notitiam ab Apostolis, Christi Fidem promulgantibus; siquidem Hispani, qui Columbô, & Americô Vesputiô duce, novum istum Orbem detexerunt, nulla in iis Regionibus, Christianismi repererunt vestigia.

QUÆSTIO II.

Gentilium Philosophorum, nec non aliorum veterum Sapientum, fuitne sententia communissima, Animas humanas esse immortales?

Gentilium præcipui Philosophi & Pòëtæ, fatentur Animam esse immortalem.

12. RESpondetur *affirmativè*: sic enim præter alios sensit Pythagoras & Plato cum suis innumeris Discipulis & sectatoribus, nec non potior pars Stoicorum. Unde Plutarchus de placit: Philosop. lib. 4to Cap. 7. ait. *Pythagoras & Plato, Animam mortalitatis immunem dixit: exeuntem enim, in Animam Univer-*

Universi, ad sui generis naturas subvolare. Stoici, Animam corpore exeuntem, si invalidior sit unà cum concrementis subsistere; cujusmodi esse imperitorum Animas: sin strenua sit, quales sunt sapientum, ad fragrantes usq; naturas evadere dixerunt. Et Tertullianus lib. 1. de Anima Cap. 54. ait; *Omnes Philosophi qui immortalitatem Animæ, qualiter volunt, tantum vindicant ut Pithagoras & Empedocles, ut Plato, ut Stoici, suas solas, id est Sapientum Animas in supernis mansionibus collocant.* Eusebius etiam Episcopus Cæsariensis, Constantino Magno sat familiaris, lib. 15. de Præparat: Evang. Cap. 8vo, dicit. *Non solùm Philosophiæ Studiosis, sed etiam idiotis manifestum est, quòd Plato, immortalitatem, Animæ tribuat; nec non multos super ea re sermones reliquerit, quibus probat, quòd immortalis sit Anima.* Notum est illud quod S. Augustinus lib. 1. de Civit: Cap. 22. & Cicero Tusc: 1. de Cleombroto referunt, nempe lecto Platonis Phædone, in quo immortalitatem Animæ persvadet, se præcipitem dedisse de muro, atque ita ex hac vita migrasse ad eam, quam credidit esse meliorem. Porro Plato ab Ethicis, quasi quidam Deus Philosophorum & Princeps ingenii ac doctrinæ est habitus.

13. Immortalem item Animam esse senserunt Trismegistus, Thales Milesius, primus cognominatus Sapiens: Pherecides (cujus Auditor fuit Pythagoras.) Socrates, Isocrates, Xenocrates, Cicero, Seneca, Macrobius, Maximus Tyrius, Plotinus, Porphyrius, Proclus, Philolaus, Erometes, Apuleius, Jamblychus, &c. &c.

Approbant eundem sensum, veterum Poëtarum Carmina, in quibus celebres Elysii horti, pro animabus bonorum; è contra pro malis, Styx & Acheron; item nomina infernalium Judicum; Eumenides, seu Furiæ infernales pro Animabus scelestorum; Ixionis rota, pæna Tantali apud inferos, vultur Promethei jecur perpetuò arrodens; Manes ultores scelerum in Animabus.

Ex citatis Auctoribus verba quorundam appono.

Trismegistus. 14. Trismegistus in principio Libri sui, cui titulus: Asclepius, ait: *Omnis Anima immortalis, sed non uniformiter cunctæ; sed aliæ alio modo vel tempore.* Quod ipsum probat cap. 2. & 3. constituens in homine unam formam, quæ Divinæ naturæ & similitudinis particeps est: nempe Animam & mentem; & alteram partem mortalem, scilicet corpus.

Quis fuerit Trismegistus, vide hic infra in eadem hac Quæstione numero 17.

Plato. Plato in Apologia sua de vitâ functis differens, ait: *quòd haud amplius moriuntur, suntque illi nobis in aliis rebus beatiores, & in eo insuper; quòd reliquo jam tempore permanent immortales.* Idem demonstrare conatur in Phædro; & in Phædone inducit Socratem de immortalitate Animæ cum Cebete, aliisque differentem.

Cicero. 15. Cicero lib. de Senect. habet hæc. *Ego vestros Patres, Viros Clarissimos, mihique amicissimos vivere arbitror, & eâ quidem vitâ, quæ est sola vita nominanda. Nam dum sumus in his inclusi compagibus Corporis munere quodam necessitatis, & gravi opere perfungimur: est enim Animus Cœlestis ex altissimo domicilio depressus, & quasi demersus in terram, locum Divinæ Naturæ, æternitatique contrarium. Sed credo DEOS, sparsisse Animos in corpora humana, ut essent qui terras tuerentur, quique Cælestium Ordinem contemplantes, imitarentur eum, vitæ modô atque constantiâ. Nec me solùm ratio, ac disputatio impulit, ut ita crederem, sed Nobilitas etiã Animorum, Philosophorum & auctoritas. Audiebam Pythagoram, Pythagoricosque incolas pænè nostros, qui essent pænè Itali Philosophi quondam nominati, nunquam dubitâsse; quin ex Universa mente Divina, mentes delibatas haberemus. Demonstrabatur mihi præterea, quòd Socrates, supremo vitæ die, de immortalitate Animarum disseruisset, is, qui esset sapientissimus, Oraculô judicatus. Quid multa? sic mihi persvasi, sic sentio, cùm tanta celeritas Animorum sit, tanta memoria præteritorum, futurorum prudentia, tot artes, tantæ scientiæ,*

tiæ, tot inventa, non posse eam naturam quæ res eas continet mortalem esse. Hucusque Cicero.

Salustius consentit, dum circa principium de bello Jugurthino ait: *Homo, Animâ & corpore constat, ita res nostræ cunctæ, alia corporis, alia Animæ vis est: Corporis, & hujusmodi brevì dilabuntur; sed ingenii egregia facinora, sicut Anima, immortalia sunt.* Salustius.

16. Seneca lib. 5. Epistolarum, Epistolâ 36. *Mors* (inquit) *quam pertimescimus, & recusamus, intermittit vitam, non eripit. Veniet iterum qui nos in lucem reponat dies.* Et iterum in lib. de brevitate vitæ, de Morte Fratris Paulini loquens. *Nunc Animus Fratris mei velut ex diuturno carcere est emissus, tandem sui juris, & arbitrii gestit, & rerum naturæ spectaculô fruitur, & humana omnia ex superiore loco despicit; fruitur nunc apertô, & liberô Cælô, non perdidit lucem Frater tuus, sed securiorem consecutus est vitam.* Seneca.

Philolaus Tarentinus, multorum voluminum scriptor, Phythagoricus Philosophus in 3tio Volumine de Anima humana sic loquitur. *Diligitur corpus ab Anima, quia sine eo non potest uti sensibus: à quo, postquam morte, deducta est, agit in Mundo incorporalem Vitam.* Philolaus.

Addo Appollinis Milesii Oraculum de immortalitate Animæ, quod habetur apud Majolum Tomo 2do. Coll. 2do. Oraculum Apollinis.

Donec Corporeis Animus connexibus hæret.
Cedit mortali patiens humana dolori.
Sed cùm mortali compage solutus abibit
Corpore confecto, tunc totus in Æthera fertur
Incorruptus, ubi maneat nunquamq; Senescens.
Sic Antiqua DEI fieri Providentia mandat.

17. *NOTA.* Hermes Mercurius Trismegistus, fuit *Physicorum* (seu Philisophorum:) *Omnium* (Teste Tertulliano lib: contra Valentinianos Cap. 15.) *Magister. Hunc Cicero ait* (ut scribit Lactantius lib. de Ira DEI cap. 11.) *in numero Deorum apud Ægyptios haberi, scilicet, qui ob virtutem, multarumq; artium scientiã,* Quisnam Trismegistus?

Trismegistus nominatus est, & erat non modò Platone, verùm etiam Pythagorâ, septemque illis sapientibûs longè antiquior. Vixit enim ante Christum Dominum, ferè mille quadringentis annîs: Cùm tamen septem sapientes, Salvatoris nostri Nativitatem, tantummodo circiter sexcentis annîs præcesserint. De rerum Principiis (ut refert ex Meneleo Jamblichus lib. de Myst: § 39.) scripsit 36525 volumina. *Cui inter DEOS tantus honor cultusq; à vobis* (ut dicit S. Augustinus lib. de 5. Hæresibus Cap. 3. alloquens Ethnicum) *allatus est, ut ejus nomine diem Domini vocaretis.* Quid verò hoc in passu senserit Aristoteles, Vide infra sub Quæstione XIX. numerô 130 & seq.

QUÆSTIO III.

Quinam negârunt, Animam Humanam esse immortalem?

Animæ immortalitatē denegârunt Epicurus &c.

Plinius &c.

18. ANimas humanas simul cum corpore interire, ex Gentilibus, sensit Epicurus cum suo grege. Democritus, Hermachus, Lucianus &c. & apud Latinos, Lucretius, Cassius, qui Julium Cæsarem sustulit. Nec non Plinius lib. 7. Hist Cap. 55: Qui de Anima brutorum, de quibus tam multa scripsit, optimè est meritus (ut inquiunt Conimbricenses) de Humana autem pessimè, ut pote cujus immortalitatem acerbâ dicacitate est insectatus. Vide infra sub Quæstione XIII. numero 90 & seq. Certus nunc ea de re apud inferos, malô suô infelicique experimentô. Cum Epicureis sensit Averroes Arabs & ante illos Sardanapalus. &c.

Demonax, Gentilis Philosophus subdubitare visus est: Nam cùm in extremis, ab amico interrogaretur, ut suam mentem de Anima hominis & de inferis depromeret. Respondit, *Experi-*

Experiar, & post obitum, Tibi hac de re significabo: Nec dubium, quin sit infeliciter expertus, etsi nihil significârit. Galenum etiam circa immortalitatem Animæ fuisse dubium, communiter censetur.

Ex Judæorum Gente Saducæi, diffitebantur immortalitatem Animæ.

19. Ex Christianis Hæretici Thnetopsichitæ, circa Annum Christi 600. exorti, docebant (ut refert S. Damascenus libro de Hæresibus) hominum Animas, unà cum corporibus, instar pecudum interire. Idem asseruit circa Annum 1520. quidam Hermannus Rizvich Batavus.

Item circa Annum Christi 200 exorti in Arabia Hæretici, dicti *Arabici*, qui (ut refert Eusebius lib: 6. Hist: Ecclesiasticæ Cap. 30. & S. Augustinus Lib. de Hæresibus) dixerunt, Animas in hoc præsenti tempore unà cum corporibus mori ac corrumpi, & in futura Resurrectione simul cum illis, vitæ denuò restituendas. Sed convocatâ etiam ob hanc causam Synodo, vocatus Origenes de Quæstione hac ita publicè disputavit, ut plurimi eorum qui antea seducti fuerant, ab errore conversi fuerint.

20. Hunc Arabicorum errorem nefandum, jam olim extinctum suscitârunt, imò & auxerunt anno 1540, quidam Neo-Ariani in Litvania; docuerunt enim Animam hominis non esse quid diversum ab ipso hominis corpore, ejusque membris; ac proindè mortuô corpore, eô ipsô mori Animam, & cùm suscitabitur corpus hominis in fine sæculi, tunc eo ipso resuscitandam Animam. Dictorum Nèó-Arianorũ præcipuus Prædicans dictus, Budin, in sua Apologia impressâ, conatus est illam opinionem multùm erroneam, probare ex Sacra Scriptura, adductis textibus ex Ecclesiaste cap. 3. versu 19. & cap. 9. versu 10. Item ex Psalmo 115. versu 17. Vide hos textus infra sub Quæstione 4ta à num. 25, ad numerum 30.

Neo Ariani; (iidem vocari solent ab aliis, Anabaptistæ.)

Item Annô 1568 quidam alius Neo-Arianus impius Prædicans edidit librum in Polonia, linguâ vernaculâ, cum hoc titulo.

Cujusdam Neo-Ariani.

Assertiones impiæ. tulo. *De vera morte, resurrectione, & vita æterna Domnini Nostri JESU Christi: & demum cujusvis Fidelis &c.* In illo libro sunt Assertiones 30. inter quas, sunt hæ:

1ma Assertio. *Nulla est in homine, seu corpore hominis vivi substantia, per quam vivit, ab ipso homine, seu hominis corpore à membris diversa: quam qui commenti sunt, Animam appellare consueverunt.*

2da Assertio. *Intimum primordium sive intrinsecum hominis, est virtus quædam hominis, & in corde sedem suam habens. Quare Scriptura hoc membrum commendare solet, Mathæi 15. versu 19 De corde exeunt cogitationes malæ; itaque, si aliqua est Animæ substantia, aut natura in hominis corpore, illa est Cor.*

8va Assertio *Nulla scriptura est, quæ dicat in morte fieri separationem alicujus Animæ à Corpore.*

9na Assertio. *Negamus illud Athanasii: sicut Anima rationalis & Caro unus est homo, hoc enim esset ex uno homine, duos facere.*

10. Assertio. *Negamus aliquam Animam post mortem manere. Sed illud dicimus excogitatum ab Anti-Christo ad statuendam suam culinam, per fictum Purgatorium & invocationem Sanctorum.*

12. Assertio. *Fatemur etiam ipsos Infideles, & nondum renatos, habere aliquam immortalitatem, sed modo primùm post resurrectionem.*

25. Assertio. *Si aliquæ Animæ nunc essent beatæ in Cælo, falsæ essent scripturæ, asserentes, Sanctos dormire.* Dictarum Assertionum falsitas patet tum ex dictis sub Quæstione 4ta, & ex Notatis sub illa Quæstione IV. contentis. Tum ex Argumentis, quæ habentur sub Quæstione VII. VIII. IX. X. XI.

Assertionum illarum meminit Doctissimus Jodocus Coccius, Theologus & Canonicus Juliacensis in Thesauro suo Catholico, Tomo 2do. lib: 1mo folio 16. dum ait: *Annô Christi 1568. Anabaptistæ (seu Neo-Arriani,) Theses Cracoviæ impressas vulgârunt,*

qua-

quarum 10. est. Negamus aliquam Animam post mortem manere, sed illud dicimus excogitatum ab Anti-Christo, &c. Hujus ipsius meminit & Magnus Soarez Lib: 1mo de Anima. Cap: 10. Numerô 3tiô.

Demum, præter alios, diffitentur Animæ immortalitatem sub Nomine Christiano nonnulli latitantes insipientissimi Athei Vide infra sub Quæstione XVI. numero 116. & seq.

NOTA: Calvinus librô 4to Instit: Cap. 7. Paragrapho 28. dicit. *Joannes vigesimus 2dus palam asseruit Animas esse mortales, unaq; cum corporibus interire usq; ad diem Resurrectionis. Testis Joannes Gerson, qui tunc vivebat.* Verùm hæc brevis narratio Calvini, tria notoria mendacia continet: Primum mendacium: Quòd Gerson vixerit sub tempus hujus Joannis: Nam is obiit Annô 1334. Gerson verò modò primùm natus 1363. ut constat ex Trithemio, Onuphrio, & aliis Historicis 2dum & 3tium mendacium est, quod Gerson testetur, Joannem palàm asseruisse Animas humanas unâ cum corporibus interire. Id enim nec Gerson, nec Ockam, licèt Joanni infensissimus, nec ante Calvinum ullus scripsit ex Historicis, nec quidem virulentissimi illi Hæretici, Viccleffus, Huss, & alii. Conceditur, Joannem Papam sensisse Animas Beatorum non visuras DEUM ante Resurrectionem Corporum, id enim necdum definitum fuerat tunc ab Ecclesia; & hoc solùm testatur Guilielmus Ockam, in Opere suo 93. Dierum, & Gerson Cancellarius Parisiensis, in Sermone suo de Paschate: sed negasse immortalitatem Animæ, nullus unquam asseruit. Vittakierus Calvinista errat, dicendo: quòd ante tempora hujus Joannis 22di, jam fuerit ab Ecclesia definitum, Beatorum Animas, videre DEUM, ante Resurrectionem Corporum. Hoc certum est, illam Veritatem post longas Disputationes esse definitam, à Benedicto XII. Successore immediato Joannis Papæ: Item definitam in Concilio Florentino, Sessione ultima, & Tridentino, Sess: 25. De illa impostura Calvini sat fusè egi in Libro meo, cui titulus *Admiranda Zvinglii & Calvini*, in Tractatû 2do, Cap. 1mo. Longè adhuc horrendius, & uni-

Calvini horrendum mendacium de Joanne XXII.

& universalius Mendacium Calvini habetur infra in Quæstione XVI. numero 120.

QUÆSTIO IV.

Certumné est secundùm Christianam fidem, Animam esse immortalem?

Divina Oracula de immortalitate Animæ.

21. *Respondeo imò. Certissimùm est Fide Divinâ Christianâ Catholicâ, Animam non interire simùl cum corpore: esseque qùid diversum à corpore.* Est contra Hæreticos Arabicos, & Neo-Arrianos, qui docebant Animam hominis simul cum corpore in morte hominis corrumpi, sed tamen in resurrectione iterum cum corpore resuscitari. Asserebant item nullam Scripturã Sacram esse, quæ dicat, in morte fieri separationem alicujus Animæ à corpore. Vide suprà sub Quæstione III numerô 19 & 20.

Responsio nostra probatur manifestè ex Scriptura Sacra. In libro Sapientiæ cap. 3. dicitur: *Justorum Animæ in manu DEI sunt, & non tanget illos tormentum mortis* (utique secundùm Animam?) *Visi sunt oculis insipientium mori, & æstimata est afflictio, exitus illorum, & quod à nobis est iter, exterminium, illi autem sunt in pace.* Et cap. 4to. *Justus si morte præoccupatus fuerit, in refrigeria erit.*

Ecclesiastæ 12. *Ibit homo in domum æternitatis suæ revertatur pulvis,* (id est corpus hominis) *in terram suam, unde erat: & spiritus* (seu Anima) *redeat ad DEUM, qui dedit illum.* 2do Machabæorum cap. 12. *Sancta ergo & salubris est cogitatio, pro Defunctis orare, ut à peccatis solvantur.* Math. 10. dicit Christus: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, Animam autem non possunt occidere.* Et Math, 22. Saducæis resurrectionem negantibus, ait: *De resurrectione autem mortuorum non legistis, quod dictum est à DEO,*

dicente

dicente vobis (Exod: 3.) *Ego sum DEUS Abraham, DEUS Isaac, & DEUS Jacob. Non est DEUS mortuorum sed viventium.* Unde, probat vixisse eos tunc secundùm Animam, etiamsi mortui essent secundùm corpus. Lucæ 16. *Factum est, ut moreretur Mendicus, & portaretur in sinum Abrahæ. Mortuus est autem dives & sepultus in inferno.* Lucæ 23. *Domine memento mei cùm veneris in regnum Tuum. Hodie mecum eris in Paradiso. Christus* post mortem suam descēdendo ad inferos, *iis qui in carcere erant* Spiritibus (id est Animabus in limbo existentibus) *prædicavit* 1. Petri 3tio. *Mihi vivere Christus est, & mori lucrum.* (inquit S. Paulus ad Philip: cap. 1) *coarctor autem è duobus desiderium habens, & esse cum Christo.* Apocal, 6to. De Animabus justis dicitur. *Vidi sub altare DEI Animas interfectorum propter Verbum DEI, &c.* Et Apocal. 7mo. *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat. Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, &c.* Quæ testimonia apertè demonstrant, Animas relicto corpore manere post mortem.

Veritas eadem confirmatur à fortiori, ex sequenti Responsione. *Accedit.* Quia definitum est in Conciliis, Florentino, Sessione ultima: & Tridentino, Sessione 25. Idque antea post longas disputationes Benedictus XII. definivit in Extravaganti quæ incipit: *Benedictus DEUS.* Scilicet, Animas Sanctorum, quæ nihil habent purgandum, statim recipi ad æterna gaudia: Animas verò in mortali peccato decedentes, ex nunc rapi ad æterna supplicia.

Respondeo 2dò. Ex eadem Fide Divina Christiana certissimum est, Animam humanam non solùm non interire cum corpore, verùm etiam esse immortalem, seu semper, perpetuò, & sinè fine duraturam.

Probatur. Quia (Loquor verbis S. Thomæ Doctoris Angelici lib: 2. Contra Gentiles, cap: 29.) *Infinitæ sunt Auctoritates Sacræ Scripturæ, quæ immortalitatem protestantur.* Ex illis innuo aliquas.

22. In Lib: Sapientiæ legitur cap: 2. *Excæcavit illos malitia sua, & nescierunt Sacramenta DEI, neque mercedem speraverunt Justitiæ, nec judicaverunt honorem Animarum suarum, quoniam DEUS creavit hominem inexterminabilem, ad imaginem similitudinis suæ fecit illum.* Hinc clarè infertur, Animam esse *inexterminabilem*, idest *incorruptibilem & immortalem.* Secundùm enim Animam, in homine imago est DEI. Imò totus Sacer Liber Sapientiæ, præcipuè à cap: 2do ad 5tum inclusivè, hanc veritatem tradit, & impiorum circa istam, deliria refert, eosque dicit tandē in inferno, serò licèt, retractâsse suum errorem, dicendo. *Ergo erravimus à via veritatis, &c. Talia dixerunt in inferno hi, qui peccaverunt.*

Judith cap: 17. *Dabit ignem, & vermes in carnes eorum, ut urantur & sentiant usque in sempiternum.* Psalmo 48. *Laborabit in æternum, & vivet adhuc in finem;* id est, in æternum affligetur, torquebitur peccator, & nunquam morietur. Isaiæ 33. *Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Item cap: 66. *Vermis eorum non morietur* (quia interiùs in Anima semper cruciabuntur dolore amissæ beatitudinis æternæ, & tanti mali ob sua peccata contracti) & *ignis eorum non extinguetur.* Danielis 12. *Qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt: alii in vitam æternam; alii in opprobrium, ut videant semper.* Id est, ut sentiant tormentum æternum.

Math: 25. *Et ibunt hi in supplicium æternum, Justi autem in vitam æternam.* Marci 9. *Vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* 2. Ad Thessalonicenses 1mo. *Qui pænas dabunt in interitu æternas à facie Domini.*

Erronea Sectariorum quorundam explicatio Sacræ Scripturæ.

23. *Sed fortè dicet quispiam.* Ignem quidem fore in quem ituri sunt damnati, æternum; & vitam fore æternam, quam habituri sunt Beati; non tamen ipsi homines futuri sunt per totam æternitatem in illo igne, æternùm duraturo, vel in illa vita æternùm duratura. Hanc objectionem & tergiversationem jam tempore S. Augustini vulgarem; qualiter ipsemet S. Doctor Libro de

Fide

Fide & Operibus cap: 15. refellit, audiamus. *Neque illud hìc dici poterit, in quo nonnulli seipsos seducunt; ignem æternum dictum, non ipsam combustionem æternam; ut videlicet ipse ignis æternus sit, combustio verò eorum, hoc est operatio ignîs, non sit in eos æterna. Cùm & hoc prævidens Dominus, sententiam suam conclusit, ita dicens: ibunt illi in combustionem æternam, justi autem in vitam æternam:* erit ergo æterna combustio, sicut ignis. *Nota.* Versio vulgata non habet *in combustionem* sed *in supplicium*: Syriaca habet *in cruciatum*, inquam ignîs & concremationis æternæ.

Insuper refutatur manifestè illa tergiversatio seu objectio. Tum ex verbis S. Pauli 2. ad Corinth: 4to. *Momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Ubi per hanc dictionem, *in nobis*, docet, gloriam futuram esse æternam non secundùm se præcisè in se, ac absolutè; sed *in nobis*, ac respectivè ad nos. Tum ex verbis Christi D. Marci 9. ubi de Scandalizantibus dicitur. *Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non exstinguitur.* Quod ter inculcans in eodem illo capite, & cum illa voce: *eorum*, *eorum*, *eorum*, satìs manifestatur, vermem & ignem non futuros utcunque æternos, sed in eis, & respectu eorum, & proinde Animas illorum nunquam in æternum morituras. Tum ex ferè omnibus textibus suprà adductis, præsertim Sap: 2. Judith. 17. Psal. 48. Isaiæ 66.

24. *Confirmatur Responsio nostra 2da.* Quia veritas hæc definita est in Concilio Lateranensi sub Leone X; Sessione 8va. his verbis: [Cùm diebus nostris (quod dolenter ferimus) zizaniæ seminator antiquus humani generis hostis, nonnullos per- "
nitiosissimos errores à fidelibus semper explosos, in agro Do- "
mini superseminare, & augere sit ausus, de Natura præsertim "
Animæ rationalis, quòd videlicet, mortalis sit, aut unica in "
cunctis hominibus: & nonnulli temerè Philosophantes, secun- "
dùm saltem Philosophiam, verum esse asseverant: contra hujus- "
modi pestem, opportuna remedia adhibere cupientes, hoc "

Decretum Concilii Lateranensis de immortalitate Animæ.

" Sacro approbante Conciliô, damnamus, & reprobamus, asserentes omnes, Animam Intellectivam mortalem esse, aut unicam in cunctis hominibus, & hæc in dubium vertentes; cùm illa non solùm verè per se, & essentialiter humani corporis forma existat: sicut in Canone felicis recordationis Clementis Papæ V. Prædecessoris nostri, in Generali Viennensi Concilio edito, continetur, verùm, & immortalis, & pro corporum, quibus infunditur multitudine, singulariter multiplicabilis, & multiplicata, & multiplicanda sit, quod manifestè constat ex Evangelio, cùm Dominus ait: Animam autem occidere non possunt. Et alibi: Qui odit Animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam; & cùm æterna præmia, & æterna supplicia pro merito vitæ judicandis repromittit. Aliàs Incarnatio, & omnia Christi mysteria nobis minimè profuissent, nec resurrectio exspectanda foret, ac Sancti & Justi miserabiliores essent (juxta Apostolum) cunctis hominibûs. Cúmque verum vero minimè contradicat, assertionem, veritati illuminatæ Fidei contrariam, omnino falsam esse definimus: Et ut aliter dogmatizare non liceat, districtiùs inhibemus. Omnesque hujusmodi errores assertionibus inhærentes, veluti damnatissimas hæreses seminantes, per omnia ut detestabiles, & abominabiles hæreticos & infideles, Catholicam Fidem labefactantes, vitandos & puniendos fore decernimus. Insuper omnibus & singulis Philosophis in Universitatibus studiorum generalium, & alibi publicè legentibus, districtè præcipiendo, mandamus, ut cùm Philosophorum Principia, aut Conclusiones, in quibus à recta Fide deviare noscuntur, Auditoribus suis legerint seu explanaverint, quale hoc de Animæ mortalitate, & Mundi æternitate, ac alia hujusmodi, teneantur eisdem veritatem Religionis Christianæ omni conatu manifestam facere & persvadendo pro posse docere, ac omni studiô hujusmodi Philosophorum argumenta, cùm omnia solubilia existant, pro viribus excludere atque resolvere.] Hucusque Leo X. Nullus item est

ex

ex SS. Patribus, quorum scripta habemus, qui non assereret, & doceat Animam humanam esse immortalem. Imò Divus Chrysostomus Homiliâ 4tâ de Providentia dicit, eos qui de immortalitate Animæ dubitant, dubitare etiam posse, an in meridie dies sit. In eadem ferè verba convenit etiam Sanctus Augustinus lib. 13. De Trinitate cap. 9.

25. *NOTA Imo. si Objiciatur* Utique Sapientissimus Rex Salomon in suo lib. Ecclesiastæ cap. 3. versu 19. habet hæc. *Dixi in corde meo de Filiis hominum, ut probaret eos DEUS & ostenderet similes esse bestiis. Idcirco unus interitus est hominis, & jumentorum & æqua utriusq; conditio. Sicut moritur homo, sic & illa moriuntur Similiter spirant omnia, & nihil habet homo jumentô ampliùs.* Ergo nihil est in homine immortale. Si inquam hoc objiciatur. *Respondetur.* Verba illa Ecclesiastæ, vel in persona impiorum negantium immortalitatem, proferuntur, ut vult S. Greg. Magnus lib. 4. Dialog. cap. 4. Et S. Thomas 1 parte, q; 75, Articulo 6. Vel dicuntur à Salomone solùm (ut exponit S. Hieronymus & alii) De morte hominis, secundùm ea, quæ corpori tunc accidunt; nam similî modô alteratur, languescit, corrumpitur homo, quò ad corpus sicut Animalia bruta corrumpuntur. Longè autem dispar est ratiò quò ad Animam, ut etiam patet ex eo: quia idem Ecclesiastes statim subdit. *Omnia de terra facta sunt & in terrā revertuntur.* De terra autem nihil aliud factum est, nisi corpus, de quo etiam est illud Gens. 3. *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* De Anima autem idem Ecclesiastes cap 12. versu 7 dicit *Reuertatur pulvis in terram suam, unde erat, & spiritus redeat ad DEUM, qui dedit illum.*

Objectiones in contra solvuntur.

26. *NOTA 2do.* Verba illa Ecclesiastæ 9 versu 19. *Quodcunq; potest manus tua facere; instanter operare, quia nec opus, nec ratio nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas.* Verba inquam hæc verissima sunt in eo sensu (ut explicant SS. Patres S Augustinus Tract. 44 in Joan. Hieronymus in caput 6. ad Galatas. Gregorius 14 Dialog. cap. 39. Chrysostomus Homilia 3.

liâ 3. in Psal. 36. &c.) quòd scilicet post mortem, in vita alia, non sit ullum verum tempus merendi: proinde nullum ibi opus, nulla scientia, ac sapientia nulla, nulla ratio, prout meritò serviunt, ne Christum D: quidem excipiendo, qui dixit Joan. 9. *Me opportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est; venit nox quando nemo potest operari.*

27. *NOTA 3tio.* Psal. 113. versu 17. verba hæc. *Non mortui laudabunt Te Domine, neque omnes qui descendunt in infernum, sed nos qui vivimus, benedicimus Domino.* Sic explicat S. Hieronymus. Non mortui laudabunt Te. Hoc est peccatores. Peccator enim cùm venerit in profundum malorum contemnit; neque omnes qui descendunt in infernum, hoc est habitatores inferni, Sed nos Fideles qui vivimus: id est qui Fidem & opera habent, ipsi laudant DEUM. Theodoretus verò ita explicat. Mortuos vocavit eos, qui inanimis idolis serviunt: quid enim est illis stupidius? viventes verò eos, qui DEUM viventem adorant: quibus Divinum attribuit hymnum.

28. *NOTA 4to.* In Scriptura Sacra frequenter per synecdochen totus homo, appellatur caro. Sic Job 12. versu 10. *Spiritus universæ carnis hominis.* Jsaiæ 45. versu 5. & Lucæ cap. 3. v. 6. *Videbit omnis caro salutare DEI.* ad Romanos 3. vers. 20. *Ex operibus legis, non justificabitur omnis caro.* Et è contra sæpè etiam sumitur Anima pro toto homine. Sic Genesis 46. versu 27. *Omnes Animæ Domûs Jacob, quæ ingressæ sunt in Ægyptum, fuerunt septuaginta.* Exodi 4to. *Mortui sunt qui quærebant Animam Tuam..* Et Math. 2. *Mortui sunt qui quærebant Animam Pueri.* Psal. 70. *Non pepercit à morte Animarum eorum.* Josue 2do. *ut eruatis Animas nostras à morte.* Et ibidem. *Qui responderunt ei: Anima nostra sit pro vobis in mortem.* Mors item Animæ, pro interitu istius vitæ hominis accipitur. Sicut & Numer: 15. *Anima quæ per superbiam aliquid commiserit, peribit de populo.*

29. *NOTA 5to.* Aliquando in Scriptura Sacra, Cor, *Anima, Mens*, idem significant: ut Math. 22. *Diliges Dominum DEUM Tuum*

Tuum, ex toto corde Tuo, & in tota Anima Tua, & in tota mente Tua, id est ut DEUM, quantùm possumus diligamus, & omnia quæ habemus, illi impendamus. Quandoque etiam in Scriptura Sacra nominè *Animæ* significatur pars inferior hominis, & nomine spiritûs, pars superior, ut ad Hæbreos 4. versu 10. *Vivus est sermo DEI & efficax, & penetrabilior omni gladiô ancipiti, & pertingens usque ad divisionem Animæ & spiritûs.* Aut Anima appellatur, quô vivimus, spiritûs, quô secundùm DEUM vivimus ut 1. ad Cor: 15. versu 45. *Factus est primus homo Adam in Animam viventem; novissimus Adam in spiritum vivificantem*, Tamen aliquando idem sunt. ut 1. ad Cor. 7. versu 34. *Virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta, & corpore, & spiritu.* Id est corpore, & Animâ: Et sic etiam accipitur in illo Cantico B. Virginis Lucæ 1, ut explicat S. August. in Expositione illius cantici. *Magnificat* (inquit) *Anima mea Dominum, & exultabit spiritus meus in DEO salutari meo. Unus & idem spiritus, & ad se ipsum, spiritus dicitur: & ad corpus, Anima: quare Anima dicitur spiritus, & è converso, Anima dicitur in quantum est vita corporis, spiritus autem in quantum est Substantia spiritualis.*

30 *NOTA 6to.* Ex hoc ipso, quòd Sancti post hanc vitam dicuntur *dormire*, infertur quòd vivant secundùm Animam. Dicuntur enim ex eo Sancti, imò omnis generis homines post fata dormire, ante resurrectionem; quia tanta est Divina potẽtia, ut quàm facilè nobis evenit, ut dormientem excitemus: ita DEUS O.M. facilè, imò longè faciliùs à mortuis & pulveribus, licèt longè latèque sparsis, homines redintegrare potest. Vide etiam dicta sub Quæstione XII. XIII. XIV.

QUÆSTIO V.

QUÆSTIO V.

Ex Providentia & Justitia Divina desumiturne Argumentum efficax pro immortalitate Animæ humanæ?

Ratio efficax pro immortalitate Animæ ex Divina Providentia, & Justitia desumitur.

31 R*Espondetur Affirmativè. Probatur.* Quia ad Divinam Providentiam & Justitiam spectat, ut boni præmiô, mali afficiantur suppliciô. Verùm, si nulla post hanc mortalem, vita alia superest, quandonam DEUS Justitiam suam exercebit, & bonos præmiabitur, malos malè perdet? non in hoc sæculo? nam videmus sæpè probos viros affligi, paupertate premi, sub pedes impiorum abjici; è contra cernimus improbos, toto plerumque vitæ decursu, voluptatibûs potiri, fortunis affluere, honoribûs extolli; itaque necessariò concluditur, aut in altera post mortem vita, à DEO secundùm cujusque merita, pænas vel præmia distribui, aut DEUM injustum esse.

Et à SS. Patribus illustratur.

32. *Argumenti hujus Veritas illustratur à sanctis Patribus, quin & à Scriptura Sacra.*

Scilicet à S. Chrysostomo.

S. Joannes Antiochenus, ob aureum Eloquentiæ flumen, cognomento Chrysostomus, Magnus Ecclesiæ Doctor, Annô Christi 390. Episcopus Constantinopolitanus, cui Divus Petrus & S. Joannes, claves & Librum ad Scripturam Sacram intelligendam dedisse, S. verò Paulus Apostolus, scribenti ac prædicanti, multa dictâsse, creditur: hic inquam S. Chrysostomus, Tomo 5to, Homiliâ 4tâ de Fato & Providentia, habet hæc. [*Sunt quidam, porcorum hircorumq; instar, abdomini affixi, & in res præsendam, porcorum hircorumq; instar, abdomini affixi, & in res præsentes inhiantes, nihil restare post nostram ex hac vita demigrationem arbitrantur. Alii quidem quædam restare putant, sed præsentia, futuris antepo-*

anteponunt. Enimverò adversum eos, qui nihil remanere judicant, sed Animum nostrum quasi exstinctum, nullam redditurum rationem, neque pœnas persoluturum, ridiculum fortassis esset, quemadmodum contra insanos, & è potestate sua exeuntes, dicere. Neq; enim si quis in die, contendat diem non esse, & de rebus in promptu positis dubitet, opportunum erit, ratione, huic persuadere, & ad sententiam suam adducere. Atqui Vestræ Charitatis causâ, cum illo disputabimus. Sicque contra eum, qui negat Animam esse immortalem, insurgit S. Doctor. *Quid dicis ò homo? nihil esse putas post hunc vitæ cursum? si nihil est post hanc vitam* (idest si Anima cum corpore exstinguitur? *ne DEUS quidem est. Si DEUS est, justus est: quod si justus sit, pro dignitate tribuet unicuiq;: si nihil post hanc vitam sit, quomodo quod par est, recipiet unusquisque? Attende verò. Multi præter meritum suum, quemadmodum ipsi initiò confessi sunt, multa bona accipiunt in hac vita, & cum honore sunt; alii vero suppliciis afficiuntur, qui cum justitia vixerunt. Quodsi nullus sit locus his post hanc vitam, injuriâ affecti discedent Justi, & præter meritum, bonîs fruentur injusti: quod si sit, quomodo esse justitia possit? Vel enim aliquem locum esse necesse est, qui pro meritis suis redderet unicuiq;: in hac vita enim hoc non invenitur; vel si talis locus non sit, quomodo pro meritis suis recipiet unusquisque? si nemo, secundùm merita recipiet, ne DEUS quidem tuâ sententiâ justus est; si non DEus justus sit, ne DEUS quidem erit. DEUM esse res omnes clamitant, atque adeò justum esse; si justus sit, pro dignitate sua reddet unicuiq; si pro dignitate sua reddet unicuique, necesse est aliquem post hanc vitam esse locum, in quo pro dignitate sua recipiet unusquisque, & vel pœnas dabit, vel in honore erit propter illa, quæ ab eo gesta sunt*] Hucusque S. Doctor. Idem S. Pater, Tomô 3tio, Homiliâ 65ta in Joannem ait. *Alii malitiam, alii virtutem sectantur: sed malitiæ sectatorum, multi feliciter in ultimam pervenerunt senectutem, virtutis autem contra: quomodo ergo pro meritis unusquisque accipiet? quando?*

33. Hoc idem urgere videtur Divus Ambrosius Tomô 4to, *à S. Ambrosio*

lib: 2do de Cain, & Abel: cap: 10. inquiens. *Redarguuntur hoc in loco, qui unicam hanc vitam putant esse, quæ sit in hoc sæculo. Ecce enim Abel justus, innocens, pius, propter gratiam devotionis, odia Fratris incurrens, immaturus adhuc ævi, sublatus est parricidiô: Et Cain iniquus, sceleratus, impius, etiam fraterna cæde pollutus, longævam duxit ætatem, duxit uxorem, posteritatem reliquit, urbes condidit-Nonne in his apertè vox DEI clamat. Erratis, qui putatis hìc esse omnem vivendi gratiam.*

Certè nisi superesset post mortem, quô virtutum sectatores sustentarentur, non esset injusta illa Prophetæ querela, quam Psalmô 72. instituit. [Ecce (*inquit*) ipsi peccatores & abundan-
" tes in sæculo, obtinuerunt divitias: in labore hominũ non sunt,
" & cum hominibus non flagellabuntur: tenuit eos superbia, tran-
" sierunt in affectum cordis, & dixi: Ergo sine causa justificavi cor
" meum, & lavi inter innocentes manus meas, & fui flagellatus
tota die.] Meritò inquam ista conquereretur Propheta, ac subdubitaret de Providentia Divina, dicens (ut in hunc Psalmum enarrat S. Augustinus) *Ubi est merces bonæ vitæ meæ? ubi est præmium servitutis meæ? bene vivo, & egeo! & iniquus abundat! à me non recedunt flagella DEI: bene servio, & flagellor! Ille non servit, & ornatur!* Sed correxit mentem, & verba (ut illa ibidem appellat S. Augustinus) periculosa, molesta, & penè blasphema, postquam cælum aspexit,,ubi præmium virtutis suæ repositum scivit. Quid mihi est (*inquit*) in cælo, aut à Te quid volui super terram. *Quid est illud, quod habeo in cælo? quantum est? quale est? quid est?* (explanat idem *S.* Doctor) *Et cùm non transit quod habeo in cælo, à Te quid volui super terram? servas mihi Tu in cælo divitias immortales, Teipsum; & ego volui à Te in terra, quod habent & impii, quod habent, & mali, quod habent & facinorosi, pecuniam, argentum & aurum, gemmas, familias, quod habent, & scelerati multi, quod habent multæ fœminæ turpes. Hæc pro magno desideravi à DEO meo super terram, cùm servet se mihi in Cælo DEUS meus.*

Et à S. Augustino.

Hæc

Hæc Ratio infundata Divinæ Justitiæ, & Providentiæ, ad probandam immortalitatem Animæ humanæ, adeò efficax est, ut eâ usus fuerit contra Simonem magum, etiam S. Petrus Apostolus, ut refert Divus Clemens lib: 3tiô Recognitionum, ubi hæc leguntur. *Petrus ait: Audi Simon: nonnulli hominum blasphemantes DEUM, & omnem vitam in injustitia & voluptate ducentes, in lectulis suis defuncti, sunt consecuti finem vitæ suæ inter suos, & honorabilem sepulturam; alii verò, DEUM colentes, & cum omni justitia & sobrietate, in parsimonia vitam suam conservantes, pro justitiæ observantia, in desertis interiêre, ita ut ne sepulturâ quidem haberentur digni. Ubi est ergo justitia DEI, si Anima immortalis non est? quæ, vel si impiè egerit, pœnas in futuro, vel si piè, & justè, præmia consequatur. Cùm certum sit DEUM justum esse, necessarium & consequens est, aliud esse sæculum, in quo unusquisque pro meritis recipiens, justitiam DEI probet.*

S. Petrus eandem adhibet Rationem.

34. Ratione eadem usus est Origenes, super Cantica. *Ubi esset* (inquit) *justitia DEI? ubi bonorum merces? si Anima esset mortalis.* Et Lactantius, Christianus Tullius, qui Crispum, Magni Constantini Filium erudiit, Lib: 3tiô Divinarum Institutionum cap: 19. ait. *Docent Divinæ Literæ, non exstingui Animas, sed aut pro justitia, præmiô affici, aut pœnâ pro sceleribus sempiternâ: nec enim fas est, aut eum qui sceleratus in vita feliciter fuerit, effugere, quod meretur, aut eum qui ob justitiam miserrimus fuit, suâ mercede fraudari.* Imò non absimili ratione probârunt immortalitatem Animæ, Philosophi Gentiles, ut Plato in Phædone circa finem: Socrates apud Ciceronem Tusc: 1. Epicamus Pòëta Ethnicus, cujus verba refert præter alios Eugubinus Lib: 9. cap: 11. Longè ante prædictos Auctores insinuavit eandem rationem S. Job cap: 21. num: 23. *Iste moritur robustus & sanus, dives & felix: viscera ejus plena sunt adipe, & medullis ossa illius irrigantur; Alius verò moritur in amaritudine Animæ, absque ullis opibus.* Postea verò subjungit. *In diem perditionis servatur malus, & ad diem furoris ducetur.*

Origines ità & Lactantius.

Quin & longè ante, S. Job.

Objectio in contra dissolvitur. 35. *Neq; valet dicere.* Virtuti sufficiens est præmium ex sola conscientia rectè facti, juxta illud. Ipsa sibi virtus pulcherrima merces. Sicut è contra, peccati pæna est ipsa amaritudo, & anxietas, quam omne scelus in conscientia relinquit. *Contra enim est.* Tum quia hæc amaritudo in sceleratissimis ferè nulla est: Experientiaque docet, quòd hæc amaritudo Animi, crescente malitiâ, sensim languescat. Non debet autem supplicium minui, dum crescit culpa & malitia. Tum quia licèt honestis, utcunque sufficeret pro pæna ipsum peccatum; tamen multis abjectissimis hæc pæna non sufficit; quis enim furi, ad id vitium inclinatissimo, pro pæna assignet ipsum furtum? Luxurioso, spurcitias, quas ultrò exambit? Nonne item Judex diceretur insanire, si diceret, taleque decretum formaret. Quia tu furatus es, debes iterum furari, & quia occidisti Petrum, debes item occidere Paulum. Vel certè, si majorem vellet excogitare pænam, formaret tale decretum. Quia tu occidisti alienum bovem, debes occidere hominem; & quia furatus es aureos centum, debes furari mille. Quod ergo nullum Regnum, nulla Civitas facit, & si faceret; longè à mente aberraret. Quomodo id de DEO Sapientissimo dici poterit, quòd pro pæna peccati constituerit ipsum peccatum? Nec in ullo Regno vel Republica bene ordinata, pro meritis præclaris sola datur virtus in præmium. Et aliàs si virtus foret sibi merces sufficiens; tunc nec militi, qui strenuè pro sua Patria decertâsset; nec famulo, qui fidelissimè Domino suo inservîsset, nec ulli alteri, qui præstitisset opus juxta Virtutis præscriptum, ulla alia merces persolvenda foret diversa ab illa strenua decertatione, à fidelissimo servitio, ab illo opere virtuoso. Porro hoc admisso. Nonne Patria, destitueretur strenuo milite: Dominus, fideli servô, Virtusque langueret?

QUÆ-

QUÆSTIO VI.

Ex Bonitate & Benevolentia Divina item ex eo, quòd DEUS O. M. ſit Finis ultimus hominis, an inquam rectè inferatur, Animam eſſe immortalem?

36. R*Eſpondetur. Ex prædictis Attributis Divinis, tria deſumuntur Argumenta pro immortalitate Animæ.*

Ex Divina Bonitate Ratio deſumitur pro immortalitate Animæ.

Primum Argumentum. Bonitas ac Benevolentia DEI erga homines tanta eſt, ut nulli viſibili creaturæ majorem oſtenderit: homini enim contulit Dominium Univerſi, ejus obſequio animantia deſtinavit, & rerum omnium, quaſcunque Orbis terrenus habet, uſum tradidit. Si itaque Anima non eſt victura poſt mortem, debuit DEUS ex eodem amore, vitam homini longiſſimam providere, ut hîs in ſe Divinæ Bonitatis argumentîs, quàm diutiſſimè frui poſſet: alioqui videretur DEUS, aut invidere, quod dedit; aut in meram pænam, irritando appetitui non ſatiando, ita una manu porrigere, ut altera ſtatim eripiat, vitâ mortali tam arctis terminis definitâ, ut multa Animalia longiore ſpatio eam extendant. Certè in iſta ſuppoſitione, majus beneficium DEUS homini conferre nequit, quàm annos ejus in immenſum prorogando; Aſt hoc ipſum hominibus ſibi amiciſſimis negat; permittit enim ut Martyres ex ejus amore, per mille cruciatus, mortem oppetant, cùm potuiſſent ætatem longiorem vivere. Ah! quàm iſta funeſta deceptio, ſi Animus cum vita perit! quàm Divinæ Bonitati repugnans! Cur hactenus tam atroci errore miſeros mortales non exſolvit? cur patitur eos tam improvidè fraudari bonîs, quæ condidit, eorum maximè causâ? nimìs hæc abhorrent à Natura DEI infinitè boni, creaturam tam nobilem,

tam protervè tractare; pro ejus in se amore, malum maximum, hoc est totalem interitum velle, & in ejus pernitie, more truculenti Tyranni, sibi complacere. Ab hac nota DEUM vindicare non possunt, qui futuram vitam negant, nisi simul insipientissimè DEUM negando: ipsis enim judicibus, meliùs est DEUM non esse, quàm adeò malitiosum esse. Ergo Anima est immortalis.

Confirmatur. Quia aliàs optimi & sanctissimi, à carnis voluptatibus alieni, essent infelicissimi & miserrimi. Unde S. Paulus 1. ad Corinth: 15. dixit. *Si in hac vita tantùm in Christo sperantes sumus*, idest, si nihil superest post hanc vitam mortalem, *miserabiliores sumus omnibûs hominibûs.* quia scilicet expertes bonîs hujus vitæ: spe futuræ vitæ, assiduos insuper labores, & graves persecutiones sustinemus.

Item ex Divina Benevolentia.

37. *2dum Argumentum.* DEUS accendit homines Justos sancta cupiditate unionis secum, visionis ac fruitionis sui; & præ hoc ardore, tædium illos subit vitæ præsentis; quia probè nôrunt, oculîs corporeîs DEUM non videri, neque in hac vita ad eam felicitatem deveniri, ut facie ad faciem cum DEO versentur, ut solet loqui amicus ad amicum. Verùm si morte finirentur omnia, quod quæso est lucrum tam ardentis desiderii, nisi ut DEUM & se simul perdant! sic illi, non solùm unquam assequentur, quod optant, sed etiam amittent, quod tenent: felicitatem enim, quam in amore summi Boni hìc posuerunt, stultô perfectioris amoris desideriô jugulant, & optant assequi impossibile, per jacturam ejus, quod habebant in potestate. DEUS interea sciens Animam hominis mortalem esse, hanc imposturam non tantùm dissimulat, sed & approbat, imò & facit: quis enim amandi DEUM, ejusque vultum desiderandi Author est, nisi DEUS? ille enim vult amari, & ut ametur, facit; proposuit in creaturis tot imagines, suarum perfectionum, quas quicunque sapienti oculô intuetur, ardet videre ipsum Prototypon, & inquietus est, donec id assequatur. Regina Saba (ut sacer textus narrat 3tiô

Regum, cap: 10.) postquam variis Relationibus didicit regnare in Palæstina Salomonem, Regum omnium Sapientissimum, ditissimum, ac magnificentissimum: non contenta hâc famâ, & fidelibûs nuntiîs, exarsit desideriô videndi, coram alloquendi, ænigmatibus tentandi Nominatissimum Principem, ideoque de ultimis finibus terræ, nempe ex Æthiopia Jerosolymam ad iter longinquum comparat omnia, non sumptibus, non valtudini non vitæ parcit, quam viarum exponit periculis. Finge jam, Salomonem, de hoc Reginæ proposito certum, literîs datîs, legatione missa eā invitare, sed simul occultos latrones ita disponere ut in ipso Regni sui limite, credulam fæminam adoriantur & cædant; aut si hanc necem ipse non paravit, scit tamen de percussoribus, in Reginæ vitam conspirantibus, neque præmonet, sui videndi copiam, nunquam fore, & mortē citiùs, quàm Salomonem, reperturam; proinde domô ne efferat pedem, ac inutile desiderium tempestivè exstinguat: si, inquam Salomon de insidiis edoctus, aut præscius, eâ cautelâ Reginam non instruit, quis non malitiosissimum & ingratissimum dicat. Simili dolô nos involveret DEUS, si post mortem non viveremus. Ex fama magnitudinis, Sapientiæ, Bonitatis & Gloriæ ejus, quam nobis cæli, ac tota Universi machina enarrat, accendimur amore tum & cupiditate videndi hunc Salomonem, DEUM scilicet O. M. non enim nos contentos hi nuntii reddunt, sed inquieti sumus, donec ipsi venerimus & viderimus oculis nostris, & probaverimus, quòd media pars nobis nunciata non fuerit, prout loquebatur Regina Saba 3tio Reg. 10. Hac voluntate animati, pedem è terra nostra, hoc est è vita mortali efferimus, cùm Ecce nobis, duo immanes latrones, quorum primus, Corpus, alter Animam interficit, sese nobis offerunt, & omnem in perpetuùm, spem videndi DEUM intercipiunt. quò nobis ergo desiderium nostrum! quò inutilia vota! Ast noverat DEUS, ita nobiscum fore, quin ipse hos latrones in insidiis posuit; quia Animam mortalem creavit, cur itaque nos ad sui amorem per creaturas, tanquam

Illustratur.

quam per literas suas invitavit? Cur de suis perfectionibus, quæ eum infinitè amabilem reddunt, edocuit? cur non præmonuit, vanâ nos cupiditate torqueri? Necessariò talem censuram appingas DEO, qualem Salomoni modò appinxisti, si Animam unà cũ corpore interire credis. Cùm veró summæ insipientiæ sit, talem censuram appingere DEO, sequitur, certum esse, Animas humanas esse immortales.

Nec non ex eo, quòd DEUS sit finis ultimus hominis.

38. *3tium Argumentum.* DEUS est necessariò Finis ultimus hominis, & summum Bonum. Ex una enim parte, certum est, quòd cor humanum satiari plenè, & beari perfectè non possit ullîs opibûs, dignitatibûs, Regnîs totius Mundi, nec ullîs voluptatibûs terrenîs, nisi summô Bonô idest, DEO: Unde S: Rex David, Psalmô 16. exclamat: *Satiabor cùm apparuerit Gloria Tua.* Quasi dicat: Nulla res me alia satiare poterit, & plenè contentũ reddere, nisi manifestatio Gloriæ Tuæ, quæ est bonum infinitum. Alphonsus etiam Aragoniæ Rex revolvens Libros Senecæ, rogatus, Cur Animus hominis ita esset insatiabilis? Sapienter respondit. *Animus hominis à DEO profectus, nõ priùs conquiescere potest, donec eò redeat, unde profectus est, nempe ad DEUM, qui est summum Animæ Bonum.* Et S. August: rectè ait. lib. 1. Confes: cap. 1. *Fecisti nos Domine ad Te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in Te.* Ex altera verò parte, homo in hac mortali vita, ærumnîs ac malîs plena, summô Bonô non fruitur: itaque si post mortem nõ vivit, nunquam beari poterit, adeoque summum Bonũ, quod est DEUS, ejus Finis ultimus non erit: nam ex mente omnium Philosophorum rectè sentientium, Finis ultimus ille est, in cujus possessione Anima quiescit; DEUS autem in hac vita, per cognitionem & amorem ita possidetur, ut cor humanum tam imperfecta possessione non contentum, non solùm non quiescat, sed majori semper solicitudine agitetur; quò enim plus diligit DEUM, eò plus ad illum aspirat videndum, ut ex Sanctorum Historiis notum est. Jam si DEO auferas perfectionem Finis ultimi, respectu hominis, sequetur hinc, esse aliquam Creaturam,

quam

quam DEUS condidit non propter ſe ultimatè, adeoquè illa meritò poſſet contemnere DEUM, & adhærere alteri fini ſuo, in cujus poſſeſſione quieſcat: hunc autem Finem ultimum hominis, diverſum à DEO, nec Stoa, nec Academus, neque Stagyra, nec ullus prudentum hactenus unquam invenire potuit. Verbô igitur concludo hoc Argumentum 3tium. DEUS neceſſariò eſt Finis ultimus hominis; igitur aliquando venire homo poteſt in poſſeſſionem ac fruitionem illius: hoc autem in hac vita eſt impoſſibile; igitur id evenire debet in futura. Ergo Anima immortalis eſt.

39. *Confirmatur hoc idem 3tium Argumentum ex Patre Suarez Primæ magnitudinis Theologo S. J, is Lib: 1. de Anima, cap. 10. num: 34.* dicit: Homo ex natura ſua eſt capax alicujus ultimi Finis, quem nonniſi per Animam, ejuſque operationes aſſequitur. (Et hæc Propoſitio eſt quaſi Principium per ſe notum; omnium Philoſophorum conſenſu approbatum) ſed non conſequitur illum Finem perfectè in hac vita; ut certum eſt per experientiam; hæc enim vita, plena eſt miſeriîs & doloribûs, nullaque eſt in hac vita, Animorum ſatietas, ſed perpetua ſollicitudo & inſtabilitas. Ergo neceſſe eſt ut poſt mortem, Anima vivat, & ad illum Finem pervenire valeat. *Idem Confirmatur.*

Confirmatur 2dò. Quælibet ſubſtantia habet naturaliter ſtatum ſuum in quo quieſcat, & ſuam conſequatur perfectionem, Anima autem humana cùm eſt in Corpore, ſemper luctatur cum ſenſu, neque unquam duæ iſtæ partes ſecum conveniunt. Neceſſe igitur, ut extra Corpus, Anima fruatur imperturbabili quiete, contemplando clarè ſummam & primam Veritatem, & amando primum ac ſummum Bonum, alioqui Beatitudo ita repugnaret Animæ, ſicut brutis repugnat ratiotinari.

QUÆSTIO VII.

An ex ipsa Natura Animæ humanæ, ejusque proprietatibus & operationibus, modoque agendi, rectè deducitur ejus immortalitas?

40 **R**Espondetur *Affirmativè.* Quod ipsum sufficienter constat ex Argumentis, quæ sequuntur.

Ratio pro Immortalitate desumitur ex Animæ præstantia.

Primum Argumentum. Non solùm Philosophi Christiani, sed & Gentiles, celeberrimusque Romanus Orator Cicero, ex Animæ humanæ præstantia, ejus immortalitatem deducunt. Ita enim præter alios, Tullius Lib: de Senectute, ait. *Sic mihi persuasi, sic sentio: cùm tanta sit celeritas animorum, tanta memoria præteritorum, futurorum providentia, tot artes, tantæ scientiæ, tot inventa, non posse eam Naturam, quæ res eas continet, esse mortalem.* Non absimilia pro immortalitate ejusdem Animæ adfert in Oratione pro Archia Pòëta, & in lib; de Amicitia. Et certè non potest Anima seipsam absque admiratione intueri, dum se reflectit, quantam potestatem per artes & scientias practicas, in hoc Mundo inferiori exerceat; subsunt enim ejus arbitrio Elementa, metalla, plantæ, animalia, quorum analysin ac principia per Anatomiam scrutatur, & dum vult traducit per Alchymiam ad Nobiliorem formam & gradum, quàm possit unquam sola Natura. Corpori item suo commodiùs habendo, tot subsidia reperit, invenit currus, & jumenta domavit, quibus terrâ vehatur; naves excogitavit cum velorum, ventorum, ac cæli scientia, quibus maria sulcet; imò vasa quædam commenta est, quibus piscium more, sub aquis progrediatur, exstructis altissimis turribus, àëre ubi vult liberiore fruitur, ac nostro tempore tentatus est etiam volatus in àëre adinstar avium, & possibilis judi-

judicatus, sed experimentô periculosus, ut olim fuêre prima per aquam itinerandi experimenta, de quo agit Journal Auctor in libro suo impresso, Annô 1678. Præterea variis modis, Anima humana accendit ignem, etiam per solis radios, disponit ad libitum, de cælestium corporum viribus ac motibus ad Medicinam, Agriculturam, Nauticam, & electiones circa vitæ accidentia, bonis utens influxibus, & à malis se præservans, tanquam si cæli ejus dominio subjicerentur; domat omnes feras, easque ad servitium cogit; quin & sibi imperat dum vult: gubernat familiam, administrat Rempublicam, regit Gentes, & totius Orbis affectat imperium; imò nec uno Orbe contenta esset, sed ejus possessionem assecuta, quæreret alium. Hæc, & múltò plura alia, arguunt summam Animæ humanæ nobilitatem, ejusque, supra brutorum formas incomparabilem præstantiam. Adde, quòd activitatis suæ nullos habeat certos limites, sed se planè in infinitum extendit; nullus enim numerus est ita magnus, cui intellectus adjicere ultra non possit; neque ullum bonum finitum ita excellens, quô perfectius, Voluntas non desideret; talis autem illimitatio rebus corruptibilibus convenire non potest; pendent enim à certis dispositionibus qualitatum, quæ Causæ contrariæ qualitatibus succumbunt, atque ideo corrumpuntur; si autem tam vastam inclinationis suæ sphæram haberent, eô ipso haberent quoque vastam cum rebus planè omnibus sympathiam atque cognationem quandam, adeòque planè nullum haberent adversarium & sic nunquam corrumperentur. Hinc ergo concluditur, Animam melioris debere esse conditionis supra corpora & bruta; cùm autem bruta longissimè vivant, corpora etiam humana post mortem non statim corrumpantur; cur tam nobilis Natura, scilicet Anima, ipso mortis momento corrumpi debeat? Hæc credo Ratio movit quosdam Gentiles Philosophos, ut quamvis Animam humanam, mortalem asseruerint, illi tamen longas post fata annos concesserint: non enim capere poterant, quomodo componi posset cum tanta substantia, corruptibilitas tanta; siqui-

dem etiam inter lapides, illi ſunt pretioſiores, qui diutiùs durant, ut ſunt adamantes, qui maximè corruptioni reſiſtunt, nec ulla rubigine conſummuntur. Et P. Paulus Segneri S. J. in libro ſuo doctiſſimo, cui titulus. *Incredulus non excuſatus*; cap: 30. ſcribit: *Scio hominem illuſtrem, cui de immortalite Animæ, magna evidentia naſcebatur, è conſpectò infantium vix natorum interitu.*

Item ex eo, quòd Anima eſt ſubſtantia ſpiritualis.

41. *2dum Argumentum.* Omnis ſubſtantia ſpiritualis eſt incorruptibilis. Sed Anima humana eſt ſubſtantia ſpiriritualis. Ergo eſt incorruptibilis, proinde & immortalis. Omnis enim ſubſtantia vivens (qualis utique eſt etiam Anima?) ſi eſt incorruptibilis, eſt immortalis: hoc enim nomine *ſubſtantiæ Immortalis* denotatur

42. Porro, quòd Anima ſit ſubſtantia, conſtat ex immediatè dictis.

Quòd autem ſit ſpiritualis. Probatur multipliciter, imò. Quia objectum Animæ rationalis in cognoſcendo eſt univerſaliſſimum; cognoſcit enim non ſolùm objecta præſentia, præterita & futura, ſed etiam purè poſſibilia & impoſſibilia: item res indiviſibiles, ut puncta, & Entia ſpiritualia, ut DEUM, Angelos: item objecta univerſalia, à ſenſibus remota, abſtrahendo à circumſtantiis materialibus individualibus, loci, temporis, magnitudine, colore, figura, & ſimilibus. Elicit concluſiones univerſales ſcientificas, ex Principiis univerſalibus; diſcurrit de rebus abditiſſimis, altiſſimis, deque rebus longè pòſt futuris: cognoſcit æternitatem, relationes, proportionem unius ad aliud, &c. Ejuſmodi autem objecta, & tali modô, nulla potentia materialis attingit. hæc enim, nonniſi Objecta attingit determinata aliqua certi generis: ut patet in potentia viſiva, auditiva. Imaginativa etiam potentia, tantùm ſe ad ſenſibilia extendit, & quidem conjuncta certis circum ſtantiis. Nec eſt ullum fundamentum poſitivum, elevandi nauraliter potentiā materialem ad ea omnia cognoſcenda objecta, & talimodô ut cognoſcit Anima humana. Item eadem Anima delectatur

ctatur cognitione rerum æternarum, veritate, famâ, resistit cupiditatibus corporis; desiderat naturaliter Religionem, Justitiam, aliasque Virtutes, quæ non conveniunt naturæ corporeæ; habet dominium in suos actus, est liberrima in agendo, positis etiam omnibus ad agendum requisitis. Insuper Anima reflectit se supra se (hique actus reflexivi sunt independentes à phantasmatibus) & suas actiones cognoscit, se cognoscere, discernitque, an cognoscat certò, & quali certitudine; an solùm probabiliter & quali probabilitate. Nulla autem virtus corporalis, aut Organica agit simpliciter in seipsam, aut reflectit se supra se: sic Oculus non videt se, nec suam visionem, nec auris audit se, nec suam auditionem. Hæc omnia homini non pervicaci manifesta sunt argumenta, Animam humanam, non esse corpori immersam, sed substantiam spiritualem, à corpore separabilem & subsistentem.

2dò. Quia Intellectus hominis est spiritualis. Ergo & Anima est spiritualis; intellectus enim vel identificatur Animæ, vel est ipsius proprietas & passio. Proinde quò ad suam essentiam, non perfectior, quàm Anima. Antecedens probatur. Tum quia facultas materialis percellitur ac inepta redditur per vehementiam sui objecti: sic Auditus læditur per sonum nimis acutum: Visus, per objectum nimis lucidum &c. Intellectus verò noster non læditur per objectum suum summè verum, sed in illud maximè fertur. Tum quia Intellectus noster expeditior est in cognoscendo, si se homo retrahat à sensibilibus, & oculos claudat; si verò esset materialis, multùm juvaretur in suis operationibus per objecta materialia & sensibilia. Tum quia Intellectus quantum ex se, fortior redditur cum tempore; nemo enim meliùs ratiocinatur, quàm is, qui per multos annos ratiocinatus est: nisi fortè per aliquod accidens, corrumpantur organa corporea: jam verò facultas corporea per suas actiones debilitatur cum tempore. Ergo intellectus non est corporeus, sed spiritualis, proinde & Anima, poteritque sic separata à corpore permanere.

Intellectus humanus est spiritualis.

3tiò. Quia Anima est capax gratiæ sanctificantis & aliorum donorum spiritualium supernaturalium. Item Visionis claræ Beatificæ.

Confirmatur. Spiritualitas Animæ ex P. Francisco Soarez S.J. (qui à Paulo V. Pontifice M. in quaternis ad eum literis datis, *Doctoris Eximii* titulô honoratus est) is lib: 1. de Anima cap: 9. argumentatur sic. Non fuit DEO impossibile facere substantiam creatam ex corpore & spiritu compositam. Fuitque illa substantia necessaria ad complementum Universi: perfectum enim Universum, debet omnes Gradus rerum complecti, & præsertim illos, in quibus notabilis varietas reperitur, quæ maximè in illa mirabili compositione, & quasi mixtione invenitur. Deinde. Quia hic Mundus sensibilis debuit habere Principem aliquem creatum, cujus usui inserviret, quique illi dominaretur. Hic autem esse non potuit substantia purè materialis; quia non esset rationis capax, & consequenter & Dominii. Nec etiam esse debuit creatura merè spiritualis; hæc enim per se, & propter se non indiget usu rerum corporalium. Ergo esse debuit ex spiritu & corpore composita; ut ratione corporis, usu corporalium rerum indigeret, & per spiritum posset inferioribus dominari. Deniq; quia naturalis ordo postulat, ut superiora inferioribus connectantur per media: ne fiat transitus ab extremo ad extremum, nisi per medium, quod sit & supremum infimi, & attingat infimum supremi. Genus autem rerum purè spiritualium, & Genus rerum purè corporalium, sunt quasi duo extremi ordinis Universi. Optimè ergo connectuntur mediâ creaturâ compositâ ex corpore & spiritu. Si ergo talis creatura possibilis est, defacto facta est à DEO, qui semper facit, quod magis expedit, quodque penetratis omnibus, convenientissimum est. Quòd autem talis creatura, si facta est, non sit nisi Homo, notiùs est, quàm ut probatione indigeat. Nec minùs notum est, si quam spiritualem partem habet homo, illam non esse nisi Animam, quia solùm ex Anima & corpore constat in se unitis.

Pro-

Propter has Rationes adductas pro spiritualitate Animæ, dico cum S. Augustino. Proposit: 28. *Incorpoream esse Animam, etsi difficilè tardioribus persuaderi potest, mihi, fateor, facilè esse persuasum.*

Doctissimus Hugo de S. Victore, qui floruit, annô 1130. lib. 2. de Anima, cap: 29. Ex eo etiam probat immortalem esse Animam, quia carne caret, seu quia est spiritualis substantia.

43. *3tium. Argumentum.* Quia scientiæ, in quibus mirandum in modum homines excelluerunt, sat clarè ostendunt, quòd Animam habent spiritualem & in corruptibilem; siquidem eò est perfectior scientia, quò magìs abstrahit & separat à corpore. Unde ingeniosum format Argumensum Doctor Angelicus S. Thomas lib: 2. contra Gentes, cap: 79. Nulla (*inquit*) res corrumpitur ex eo, in quo consistit sua perfectio: hæ enim mutationes sunt valde oppositæ; corrumpi & perfici; Anima autem eò est perfectior, quò perfectiores habet scientias; scientia autem eò est perfectior, quò magìs abstrahit à materialibus: igitur per hanc à materialibus & corporeis abstractionem Anima non corumpetur: poterit ergo extra corpus existere; nam ut docetur ex Aristotele lib. 1. de Anima. Si Operatio Animæ est à corpore abstracta, & ipsam Animæ substantiam à corpore separabilem esse. *Item ex scientia, quâ præstat Anima.*

Nota. Ænæas Gazæus, vir eruditissimus, qui floruit Anno Christi 490. & scripsit insignem librum de Animæ immortalitate quem inscripsit *Theophrastum.* In illo libro, deducit immortalitatem ejus ex iis quæ sunt proposita suprà in Argumentis, in hac Quæstione, dicit enim. *Certè miraberis vim illam ita in Anima latitantem, si rerum quas foris agit varietatem noveris. Omnis enim ars, omnis scientia, itemque actio, & contemplatio, satìs superque docere possunt Animam hominis esse immortalem.*

44. *4tum Argumentum.* Desumi potest ex eo, quia Anima dum corpus in somno tanquam Cadaver jacet, illa videt absque oculis; sine auribus audit; sine ore colloquitur, sine pedibus ambulat; per totum Orbem vagatur, in DEUM affectu fertur &c. quæ omnia videntur indicare Animæ immortalitatem. Et hoc *Et ex Animæ operationibus in somno elicitis.*

Argu-

Argumento uſus eſt S. Athanaſius Epiſcopus Alexandrinus (floruit anno Chriſti 340. Dum in Oratione ſua contra Gentes, ſeu contra idola, ait. [Anima corpus ingreſſa, & ei colligata, non
" ad corporis exiguitatem contrahitur, aut modificatur, ſed ſæ-
" pè corpore in lecto jacente, ſine omni motu ac veluti in morte
" quiſcente; ipſa ſuis viribus excubat, tranſgrediturque corporis
" conditionem, & tanquam peregrè ab eo diſcedens, manens
" tamen interim in corpore, quæ ſupra terram ſunt, imaginatur
" & ſpectat: ſæpè quoque extra terrena corpora, Sanctis, & An-
" gelis obviam tendit, & ad eos pertingit, mentis ſuæ puritate,
" freta: quì fieri poterit, ut eadem non multò magìs abſoluta à
" corpore (cùm ille qui eam ita copulavit DEUS voluerit) ha-
" beat liquidiorem immortalitatis cognitionem? Si enim antea
" colligata corpori, extraneam à corpore vitam vivebat, multò
" magìs futurum eſt, ut à morte corporis ſuperſtitem habeat vi-
" tam, quæ in ea nunquam deſitura eſt, idque ejus operâ, qui eam
" ita condit DEUS per ſuum Verbum Divinum noſtrum JE-
" SUM Chriſtum. Ideo enim & immortalia & ſempiterna ra-
" tiocinatur, quia & ipſa quoque immortalis eſt. Nam ut corpus
" mortale, mortalia ſuis ſenſibûs contemplatur: ita quoque im-
" mortalia contemplantem cogitantemq; Animam, neceſſum eſt
" & ipſam immortalem eſſe, & perpetuò vivere: quippe, quam
" im̃ortalitatis cognitiones contemplationeſque in ipſa reſiden-
" tes, nunquam deſtituant, ac veluti incentiva quædam ac fomẽ-
" ta, ei ſecuritatem certitudinemque immortalitatis concilient.]
Hæc S. Athanaſius.

Ratio eadem illuſtratur. 45. Confirmari & illuſtrari hoc Argumentum poteſt per id, quod de Gennadio, rerum Naturalium ſcientiâ apprimè imbuto, de immortalitate Animæ dubitante, ei accidiſſe teſtatur S. Auguſtinus Tomo 2. Epiſtola 100. ad Evodium, ita ſcribens. [Fra-
" ter noſter Gennadius, notiſſimus ferè omnibus, nobisque ca-
" riſſimus medicus, qui nunc apud Carthaginem degit, & Romæ,
" ſuæ artis exercitatione præpolluit: ut hominem religioſum no-

sti atque erga pauperum curam, impigrâ misericordiâ, facillimôque Animô benignissimum, dubitabat tamen aliquando (ut modò nobis retulit) cùm adhuc esset adolescens, & in his Elèemosyriis ferventissimus, utrum esset ulla vita post mortem. Hujus igitur mentem & opera misericordiæ, quoniam DEUS nullô modô desereret; apparuit illi in somnis conspicuus juvenis, & dignus intendi; eique dixit: Sequere me. Quem dum sequeretur, venit ad quandam Civitatem, ubi audire cæpit à dextera parte sonos suavissimæ cantilenæ, ultra solitam notamque suavitatem. Tunc intento quidnam esset; ait: hymnos esse Beatorum atque sanctorum. Sinistrâ autem parte quid se vidisse retulit, non satìs memini. Evigilavit, & somnium fugit, tantumque de illo, quantum de somnio cogitavit. Alia vero nocte. Ecce idem ipse Juvenis, eidem rursus apparuit, atque ab illo utrum cognosceretur, interrogavit. Respondit iste, quòd eum bene planèque cognosceret. Tunc ille quæsivit. Ubi se nosset? nec memoriæ defuit quid iste identidem responderet: totumque visum illud, hymnosque Sanctorum; ad quos audiendos, eo duce venerat, quâ recentissimos recordabatur facilitate narravit. Hìc ille percontatus est. Utrumnam id quod narraverat, in somnis vidisset, an vigilans? Respondit, in somnis. At ille. Bene (*inquit*) recolis. Verum est, in somnìs illa vidisti: sed nunc etiam in somnis Te videre scias. Hæc cùm audisset iste, ita esse credidit, atque id responsione firmavit. Tunc qui hominem docebat, adjecit, & ait. Ubi est modò corpus tuum? Ille respondit. In cubiculo meo. Scisne (inquit ille) in eodem corpusculo illigatos esse & clausos & otiosos oculos tuos, nihilque illis oculìs Te videre? Respondit, scio. Tunc ille. Qui sunt ergo (inquit) isti oculi quibus me vides? Ad hoc iste non inveniens, quid responderet, obticuit. Cui hæsitanti, ille, quod his interrogationibus docere moliebatur, aperuit, & continuò: sicut (inquit) illi oculi carnis Tuæ, utique in dormiente atque in lectulo jacente nunc va-

" cant, nec aliquid Operantur, & tamen sunt isti quibus me in-
" tueris visione: ita cùm defunctus fueris, nihil agentibus ocu-
" lis carnis Tuæ, vita Tibi inerit, quâ vivas, sensumque quô sen-
" tias. Cave deinceps ne dubites, vitam manere post mortem.
" *Addit S. Augustinus.* Ita sibi homo fidelis ablatam dicit hujus rei
" dubitationem, quo docente, nisi Providentiâ & Misericordiâ
" DEI]

Appetitus æternitatis innatus Animæ probat eam esse Immortalem.

46. *5tum Argumentum.* Animæ humanæ est à Natura insitus appetitus æternitatis; Item innatus est appetitus vitæ Beatæ. (Unde dicit S. Augustinus lib: 4. contra Julianum cap: 3. *Neq; omnes homines naturali instinctu immortales & beati esse vellemus, nisi esse possemus.* Et lib: 13. de Trinit: cap: 8. *Omnes, beatos esse velle, veritas clamat, natura compellit, cui summè bonus & immutabilis Creator hoc indidit.* Insuper appetitum hunc esse innatum, non elicitum, constat ex eo; quia singulis naturis humanis bene constitutis sentitur inesse, quovis etiam vitæ tempore & usu rationis, quique nec opinantes stimulat) sola autem vita æterna, est verè beata, nam non æterna, conjungitur anxietati ac timori eam amittendi. Unde & S. Augustinus de Sanctis Christi Amazonibus Perpetua, & Felicitate ait. *Desinit felicitas, si non sit perpetua; nec placet perpetua, si non sit felicitas.* Ergo Anima est immortalis. Aliàs ille appetitus esset otiosus, frustraneus, fallax, continuòque afflictivus Animæ. Hoc autem dici nequit. Natura enim nihil facit frustra; nec fallitur Natura circa Finem suum maximè naturalem, nec fallax esse potest inclinatio universalis omnium rectè sentientium. *Accedit.* Quia debet dari status aliquis, in quo capacitas humanæ potentiæ intellectivæ expleri possit, & quiescere, tanquam in centro suo: expleri itempossit appetitus sciendi. Sed hic status, non est præsens vita. ut patet, constatque etiam ex dictis. Ergo datur vita altera, proinde & Anima in vita illa durare debet.

Immortalitas Animæ probatur etiam ex eo, quia

47. *6tum Argumentum.* Desumitur ex Eusebio lib: 11. De Præparat: Evang:, estque ejusmodi. Anima hominis imitatur

DEUM

DEUM in perfectiſſima operatione vitali, ſcilicet in intelligendo. Ergo etiam imitatur DEUM in ſubſtantia. Ergò, cùm ſubſtantia Divina ſit immortalis omnimodè, etiam Anima humana erit immortalis, ſaltem Naturali & Phyſica immorralitate. Antecedens, verum eſt, cùm certum ſit, hominem intelligere, idque ope & beneficiô Animæ. Ergo ſi intelligit, atque ita in Operando imitatur Divinam immortalem ſubſtantiam, imitabitur etiam in eſſendo: modus enim Operandi, arguit modum eſſendi. ut docet Philoſophia.

Anima imitatur DEum in intelligendo.

48. *7mum Argumentum*: Deſumitur ex Aurelio Caſſiodoro Senatore Romano (floruit is anno 530.) Ille, libro 1. De Anima cap: 8. hæc habet. *Nos, immortales eſſe Animas, facilè veridicis lectionibus approbamus. Nam cùm eas ad ſimilitudinem Auctoris ſui legamus effectas; quis audeat contra ſanctam auctoritatem, mortales dicere? Ut impudenter potiùs aſſeratur, eas à Creatoris ſui ſimilitudine diſcrepare. Nam quemadmodum poterat eſſe imago aut ſimilitudo DEI, ſi Animæ hominum, mortis terminô clauderentur?* Fauſtus item Epiſcopus Regienſis (floruit anno 480.) in Epiſtola ſua ad Paulinum dicit. *Ideo mors ad Animam non pervenit, quia in ea Dominus imaginem ſuam & ſimilitudinem collocavit.* Claudianus etiam Mamertus, Epiſcopus Viennenſis (floruit anno 440.) ſcripſit inſigne Opus, De Statu Animæ, tribus libris comprehenſum; libro 1. Cap. 5. *Si* (inquit) *imago DEI eſt humana Anima, Incorporei videlicet imago eſt: ſi incorporei imago eſt, incorporea utique ipſa eſt. Aſt ſi incorporea non eſt, incorporei proinde imago non eſſet: ſed incorporei imago eſt: incorporea igitur eſt. Nam quia creata eſt, non eſt DEUS: quia imago DEI eſt, non eſt corpus;* quare infertur eſſe ſpiritualis & immortalis.

Item, quia Anima producta eſt ad Imaginem DEI.

NOTA. Ex multiplici ratione, Homo dicitur ad imaginem DEI factus. Tum propterea ut dictum eſt, quia habet Animam ſpiritualem immortalem. Tum propter quandam infinitam capacitatem mentis, quæ idonea eſt ad cognoſcendas omnes res, Tum ratione appetitûs, voluntatis humanæ ſic infiniti, ut nullo, præter

Quare homo dicitur ad Imaginē DEI factus?

præter id, quod eſt in omni genere perfectionis infinitū, id eſt DEUM, expleri poſſit bono. Tum ratione libertatis, voluntatis, ſeu cujuſdam indeterminationis ad quælibet particularia & finita bona. Tum quia quandam habet naturalem cupiditatem æternitatis, quam ſibi expetit Anima, eoque ipſo ſuam immortalitatem & æternitatem prodens & probans. Tum quia, ut dicit S. Thomas Theologorum Princeps Scholaſticorum, Opuſculô in Expoſitione primæ Decretalis. *Derivatur à Trinitate Divina, quædam Trinitas in Anima noſtra, ſecundùm quam, ad imaginem DEI ſumus, ſecundùm memoriam, intelligentiam & voluntatem.*

QUÆSTIO VIII.

Deſumine poſſunt Argumenta ſat valida pro immortalitate Animæ ex conſenſu Gentium, & ex qualitate Perſonarum eam negantium?

Pro immortalitate Animæ Validum Argumētum ex conſenſu ſemper omnium Gentium, & Sapientum.

49 R*Eſpondetur, defacto inter alia deſumi hæc Argumenta.* *Primum.* Quod omnium Gentium Nationes, nunc, & retroactîs cunctîs temporibûs, ac in his, univerſi innumeri, ſummô ingeniô & auctoritate eximia, multiplicique doctrinâ & virtute inſtructi, palàm, conſtanterque, ut verum ac certum affirmant: Neque eſt fundamentum ſolidum judicandi, illos vel per malitiam decipere voluiſſe, vel per ignorantiam deceptos eſſe, illud defacto eſt verum. Sed circa immortalitatem Animæ humanæ ita eſt, ut conſtat ex dictis ſuprà ſub Quæſtione I. II. IV. nec non ex dictis infra ſub Quæſtione XVI. Ergo Anima eſt immortalis. Major hujus Argumenti conſtat. Tum ex eo, quia ſicut ad diſcernendam lucem à tenebris, album à nigro, ſufficit conſulere commune judicium Oculorum non cæcutientium;

ſic

ſic ad diſcernendum verum à falſo, ſufficit conſulere commune judicium Intellectûs; ſeu ſi intellectivis omnibus, præſertim cunctis ſapientibus hoc conſtanter appareat verum. Unde & Seneca Epiſtola 180. ſcripſit. *Multum dare ſolemus præſumptioni omnium hominum, magnumque eſt apud nos Veritatis Argumentum, aliquid omnibus videri.* Tum quidquid non cognoſcitur per evidentiam talem, qualis eſt Primorum Principiorum, & tamen univerſaliter recipitur ab omnibus Nationibus, id debet eſſe Animis noſtris impreſſum ab ipſa Natura vel DEO: atqui talis eſt ſenſus de immortalitate Animæ.

50. *Confirmatur.* Imprudenter agit qui in Quæſtione graviſſimi momenti, adhæret potiùs illi parti, quæ nullam certam, imò nec verè probabilem habet pro ſe rationem, eſtque valde exigua pars, tam quò ad numerum ſibi adhærentium, quam quò ad doctrinam & eruditionem, reſpectu partis oppoſitæ, Rationibûs validîs & auctoritate ſumma firmatæ. Sed ſic eſt in præſenti Quæſtione de immortalitate Animæ, ut ſat patenter oſtenſum eſt.

51. *Argumenti hujus veritas illuſtratur.* S. Auguſtinus, Flos & Phænix ingeniorum, omnigenæ eruditionis Anteſignanus, ut Julianum Capuæ Epiſcopum in hæreſim Pelagii lapſum, qui eidem S. Auguſtino, tanquam Manichæorum dogma objecit, quia ex Adam trahi dixit peccatum in parvulos: ut inquam erroris convinceret, adductîs libro 1. contra Julianum cap: 3. pro veritate Dogmatis hujus, Doctoribûs: Irenæo, Cypriano, Reticio, Olympio, Hilario, Ambroſio. ſic alloquitur Julianum cap: 4. *Introduxi Te ſedandum atque ſanandum, non in alicujus Philoſophi Auditorium; ſed in ſanctorum Patrum pacificum honorandumq; Conventum; ſit operæ pretium, obſecro te. Aſpice illos, quodammodo aſpicientes Te, ac manifeſtè ac leniter dicentes Tibi. Ita ne Nos Fili Juliane, Manichæi ſumus? Rogo, quid reſpondebis, quibus eos oculîs intueberis? quæ Tibi Argumenta ſuccurrent? quæ Tibi Argumentorum vel acies vitrea, vel plumbei pugiones in illorum conſpectu* *Illuſtratur.*

exeri audebunt? quæ abs Te arma non fugient, nudumque destituent? Potiori jure, paucîs immutatîs, alloqui mihi sic liceat Christianum Epicuræum. Introduxi Te sedandum atque sanandum, non solùm in omnium sanctorum Patrum, verùm omnium ex toto Orbe retròactis cunctis temporibûs, & nunc collectorum Sapientum; Addo, & Tuorum Majorum, seu Parentum, Avorum, Proavorum, Atavorum, pacificum honorandumque Conventum. Obsecro Te, aspice illos quodammodo aspicientes Te, & mansuetè ac leniter dicentes Tibi. Ita ne nos omnes, degener Fili, per ignorantiam decepti sumus, vel per malitiam decepimus, cùm Animam humanam, immortalem esse, omnes indubitanter asseruimus & asserimus? Rogo quid respondebis? quibus eos oculis intueberis? quæ Tibi Argumenta succurrent? &c. *Cernis, quàm Tibi pernitiosum sit.* (Utor verbîs Divi Augustini eodem cap: 4. & 5to) *tam horribile crimen objicere talibus, & quàm mihi gloriosum sit, quodlibet crimen audire cum talibus. Si cernis, cerne, & tandem tace: nefariam linguam tot linguîs Orthodoxîs deprime, tot venerandis oribus, proterva ora submitte. Si in Scholam Xenocratis, sicut Polemo ex antelucano convivio temulentus intrâsses, non tanta, quanta in isto cætu, tot Sanctorum* (tot Gentium, tot Sapientum, tot Majorum Tuorum) *debes verecundiâ coërceri; hic enim certè, tantò major debet esse verecundia, quantò verior addiscitur sapientia. - Miror, si hoc aliquando ex Tuo ore poterit procedere, quod te tamen pravitas clamare Tui compellit erroris. Sed mirum, si in facie hominis, tantum intervallum est inter frontem & linguam, ut in hac causa frons non comprimat linguam. Unde quæso* (utar iterum verbîs S. Augustini in Psalmum 147. paucîs immutatîs, contra Donatistam Hæreticum) *judicâsti de Orbe terrarum?* damnando illum erroris, quòd semper asseruit & asserat Animam immortalem esse. *In quo foro Mundus ante Te stetit? de quo Tribunali dicis Tu Sententiam hanc in Orbem terrarum? Præsumptione videlicet cordis Tui; altum Tribunal, sed ruinosum.*

52. *2dum Argumentum desumptum ex qualitate Hominum negantium immortalitatem.* Judiciô Doctissimorum, Tertullianus eruditissimus, Religionem Christianam esse bonam & veram, rectè probat etiam ex eo, quòd Nero, judiciô omnium pessimus, adversùs illam insurrexerit, insurgantque homines soli impii, scelesti: sic enim in Apologetico contra Gentes ait. *Consulite Commentarios Vestros, illic reperietis, primùm, Neronem in hanc sectam, tunc maximè orientem, Romæ cæsariô gladiô ferocisse: sed tali dedicatore damnationis nostræ, etiam gloriamur; qui enim scit illum, intelligere potest, nonnisi grande aliquod bonum à Nerone damnatum.-quales leges istæ, quas adversùs nos, soli exercent impii, injusti, turpes, truces dementes?* hucusque ille. Ergo est recta etiam Argumentatiò nostra hæc. Soli hominum scelestissimi, impurissimi, & quò ad vivendi modum, bestiis similiores, quàm hominibus, vel intolerabili mentis arrogantiâ plurimùm depravati; vel incredibili stoliditate obcæcati, negant Animam immortalem esse. ut constat infra ex Quæstione tota XVI. à numero 112. Ergo Anima immortalis est. Grande enim hoc ipsum est immortalitatis testimonium, quòd ejus notitia, nonnisi cum humanitate & virtute, ab hominibus exuatur, & à corruptissima nonnisi morum stultitia, vel summa mentis elatione obcæcatis, negetur immortalitas Animæ; malitiâ & pravitate, mutante intellectum: ut probat Inductio eorum, de quibus constat in Epicureismum fuisse prolapsos.

Item desumptum ex qualitate Vitæ & Personarum denegantium immortalitatem Animæ.

QUÆSTIO IX.

Ab ipsis mortuis suntne etiam desumibilia efficacia Argumenta pro Immortalitate Animæ?

53. RESPONDETUR, *haud dubiô esse inter alia, etiam hæc: imum Proponitur* verbîs S. Gregorii Papæ, Doctoris Ecclesiæ præ-

S. Gregorii Magni efficax Argumentum pro immortalitate.

præstantissimi: *Sanctitate, Eloquentiâ, Sapientiâ summi: Cui DEUS dedit, studiorum ejus omnia perpendere dicta.* Ut ait S. Hildephonsus Episcopus Toletanus in Libro de Viris Illustribus cap: 1. Is ergo Magnus S. Gregorius, qui objit Anno Christi 604. pro immortalitate Animæ, Homiliâ 32. in Evangelia, tale suppeditat Argumentum. *Ad Sanctorum* (inquit) *Martyrum Corpora, consistimùs, Fratres mei. Nunquid isti carnem suam in mortem darent, nisi eis certissimè constitisset, esse Vitam, pro qua mori debuissent. Ecce, qui ita crediderunt, miraculîs coruscant; ad exstincta namque eorum corpora viventes ægri conveniunt, & sanantur; perjuri veniunt, & Dæmoniô vexantur: Dæmoniaci veniunt, & liberantur: Quomodo ergo vivunt illic, ubi vivùnt: si in tot miraculis vivunt hìc, ubi mortui sunt. Quod videri potest, meliùs dicitur sciri, quàm credi. Venturam ergo vitam nos Dominus voluit magìs scire, quàm credere, qui eos, quos invisibiliter recepit, apud se vivere, nobis etiam visibiliter ostendit.*

Similia habet idem Sanctus lib: 4tô Dialogorum. cap: 6tô. ubi ait: *Nunquid Sancti Apostoli, & Martyres Christi præsentem Vitam despicerent, & in mortem carnis, Animas ponerent, nisi certiorem Animarum vitam subsequi scirent? Tu verò ipse inquies, quia vitam Animæ in corpore manentis, ex motibus corporis agnoscis; & ecce ii, qui Animas in mortem posuerunt, atque Animarum vitā, post mortem carnis esse crediderunt, quotidianîs miraculîs coruscant: ad exstincta namque eorum corpora, viventes ægri veniunt, & sanantur: perjuri veniunt, & dæmoniô vexantur, dæmoniaci veniunt, & liberantur: leprosi veniunt, & mundantur, deferuntur mortui, & suscitantur. Pensa itaque eorum Animæ qualiter vivunt illic, ubi vivunt; quorum hìc mortua corpora in tot miraculis vivunt. Si igitur vitam Animæ manentis in corpore deprehendis ex motu membrorum; cur non perpendis vitam Animæ post corpus, etiam per ossa mortua in virtute miraculorum?*

54. *Argumentum hoc desumptum est à visibili Experientia;* nam si Martyres mortui, & alii Sancti, miracula faciunt; quomodo post

do post mortem non vivunt? Unum ergo ex his negare proterviter Atheus & Epicuræus debet. Aut quòd vera miracula, ad sepulchra Sanctorum fiant; quod est impudens. Aut, quòd miracula non à Sanctis qui invocantur, fiant; quod est insipiens Quæro enim à quo fiant? Non à solo DEO absque interventu Sanctorum; quia sic DEUS patrocinaretur errori invocantium Sanctos, quos illi credunt vivere & factô ad eorum invocationem miraculô, confirmantur in ista fide. Non etiam illa miracula fiunt casu & fortuitò; quia id ridet universa recta Philosophia; & meritò: quod enim respectu nostri dicitur casus & fortuna; hoc semper est alicujus causæ determinatæ effectus; hìc autem miraculi ad Tumbas Martyrum & aliorum Sanctorum facti præter Eorum preces ad DEUM fusas, quænam rectè causa ostenditur spectatis tunc circumstantiis?

Animam à corpore separatam vivere. Probatur ex apparitionibus mortuorum.

55. *2dum Argumentum.* Quia nemini dubium esse debet, qui fidem saltem humanam non omnino exuit, mortuos non semel vivis apparuisse. Hujus rei illustria Exempla adfero. *Imo. Ex Sacra Scriptura.* 1. Regum cap. 28. legitur, quòd Samuel, ope (ut putabatur) Mulieris Pythonissæ suscitatus, è limbo prodiit, & Sauli Regi, ultimam perniciem prædixit. Nos Christiani credimus, non fictam aliquam Samuelis figuram, sed veram ejus Animam, in assumpto aliquo corpore, tunc apparuisse; nam hoc apertè adstruit sacer textus in alio loco, nempe Ecclesiastici cap: 46. ita de isto Propheta Samuele loquens. *Et post hoc dormivit, & notum fecit Regi, & ostendit illi finem vitæ suæ, & exaltavit vocem suam de terra in Prophetia &c.* Quæ verba verificari de Samuele non possunt, præterquam in ista apparitione. Non opinor tamen cum multis Doctoribus, quòd tam miranda Sancti Prophetæ suscitatio, fuerit opus magiæ, aut incantationum; sed anticipavit DEUS facere per seipsum, quod per Dæmonem tentabatur; jussitque vi Divina prodire Animam Samuelis, ad denuntianda fata, quæ Saulem manebant. Sicut, cùm Ochozias Rex, 4. Regum, cap: Imo. Misit ad consulendum Bèélzebub, Idolum

Tria hujusmet Exempla desumpta ex scriptura Sacra adferuntur.

Accaron, an morbus, quô tenebatur, fuerit exitialis; præoccupavit DEUS responsum Dæmonis, & per Eliam denuntiavit, ægritudinem fatalem esse. Item in lib: 2. Machabæorum cap: 15. legitur; cùm Judas contra Nicanorem, exercitum moveret, exposuit exercitui nocturnam suam Visionem, per quam ei Onias, olim summus Sacerdos, & Jeremias Propheta, quingentis & ampliùs annis Vitâ functus, apparuit, & spem certam victoriæ fecit, suìs apud DEUM precibûs obtinendæ. Neque huic Visioni derogat, quòd eam ibi scriptura vocet *Dignum fide somnium:* Sive enim per somnum, sive in vigilia, mortui appareant, semper creditum est, eos verè apparere: sicut & in Evangelio, Angelus in somnis S. Josepho apparuit, deque rebus agendis edocuit, quem licèt S. Josephus Oculìs non viderit, verè tamen sibi adstitisse, nunquam dubitavit. Pariter & Judas ille Machabæus, ac totus ejus exercitus, fidem huic somnio adhibuit, quod etiam eventus ipse comprobavit, nemoque ex illo hominum numero fuit, qui inanes phantasmatum, in dormientis cerebro picturas opinaretur. Anima quoque Moysis (sive in corpore proprio, illi ad tempus miraculosè resuscitato; sive, ut verisimiliùs censet S. Augustinus cum pluribus, in corpore assumpto, & ex àëre formato) simul cum Elia apparuerunt Christo Domino in monte Thabor & tribus Apostolis, Petro, Jacobo & Joanni; & dicebant excessum ejus, quem completurus erat in Jerusalem. Mathæi 17. & Lucæ 9.

56. *Ad triplex hoc ex Sacris Literis testimonium, quidnam Epicuræi responsuri sint, non satìs assequor. Dicent fortè*, hæc falsa esse, & gratuitò à Divinis scriptoribos conficta: Sed hæc evasio, indignationem meretur, non responsum. Et cui tandem Libro, aut Authori credent? si scripturam, ut sacrum & omni exceptione majorem Testem nolunt, eam saltem fidem ei adhibeant, quam ab illis extorquent alii Historici, qui similes mortuorum apparitiones magnô numerô adducunt. Quodsi hos quoque ut impostores arguent, facient id more impii Achabi 3tio

Regum cap: 22. qui ideo verum Michææ vaticinium rejecit; quòd ejus placito non arriserit. Sed recipiant hæc testimonia, nec ne, parùm meâ refert: ego enim adductîs similibûs Historiîs, si eos ad credendum non inducam, saltem mole ipsa gravissimorum Testium obruam. Itaque

57. *2dò Apparuisse mortuos vivis, probo.* Quia Ecclesiastici Scriptores gravissimi, multas mortuorum apparitiones posteris consignaverunt, quas aut à Majoribus, illibata fide acceperunt, aut ipsi oculîs suîs acceperunt. Divo Gregorio Thaumaturgo vigilanti, S. Joannes Evangelista cum Pretiosissima DEI Parente, augustissima specie se exhibuit, eumque mysterium SS. Trinitatis edocuit; ut refert S. Gregorius Nyssenus in vita Thaumaturgi.

S. Augustinus libro De Cura pro mortuis, cap: 16. scribit: Sanctum Felicem Confessorem, cùm à Barbaris oppugnaretur civitas Nola, *non solùm beneficiorum effectibus, verùm etiam ipsorum hominum aspectibus apparuisse, non incertis rumoribûs, sed testibus* (ait) *certis se cognovisse.*

58. S. Gregorius Magnus multos ejusmodi eventus in suis Dialogis narrat. Refert enim lib: 2do Dialogorum cap: 34. & 35. Quòd S. Benedictus, Animam Scholasticæ Sororis suæ egressam è corpore viderit in specie columbæ, cæli secreta penetrantem; & Germani, Capuani Episcopi Animam, in Sphæra ignea ab Angelis in cælum ferri. Item 4to. Dialogorum cap: 10. narrat Abbatem quendam nomine Spem, qui per quadraginta annos cæcus, restituto oculorum lumine, prædicationi verbi DEI insistebat, pænitentiæ donô mirè exornatum fuisse: hujus morientis Anima egrediens, coram pluribus, columbæ formâ in cælum contendit, non procul à Nursia. Animam Theodorici Regis Ariani (eodem S. Gregorio teste lib: 4. Dialogorum cap: 30.) Anachoreta quidam Liparitanus vidit in Vulcani incendium projici; Joanne Summo Pontifice, & Symmacho Patritio comitantibus, quos hic crudelis Rex carcere afflictos, etiam vitâ spoliârat.

Item multa alia Exempla ex gravissimis Auctoribus.

rat. Nec minus certum, quòd Paschasii Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Anima, Viri alioqui omni Virtutum genere ornatissimi, Divinô judiciô à cælesti gloria aliquamdiu detenta in Angulanis thermis apparuit Germano Capuano Episcopo, eâdem formâ ac vestitu, quô vivus Cardinalis iste utebatur, explicavitque pœnas, quas ibi tolerabat, simul & causam illorum: ut lib. 4. Dialogorum cap: 40. scribit idem S. Gregorius, ea dignitate, sanctitate & prudentiâ Pontifex, ut nisi ab impudente testimonium ejus rejici possit.

Historia notabilis de Evagrio Philosopho.

59. S. Sophronius Episcopus Hierosolymitanus, qui floruit annô Christi 630. fuitque insignis defensor Fidei Catholicæ adversus hæreticos Monothelitas, is refert memorabilem historiam, & fide dignissimam, habeturque in Prato spirituali cap. 195. verbis his. [Cùm Alexandriæ essemus, Leontius Apamiensis vir Religiosus & fidelissimus, venit ex Pentapoli; multis enim jā annis Cyrene moratus fuerat. Venit autem diebus Eulogii Sancti Alexandrini Patriarchæ, ejusdem Cyrenensis Urbis futurus Episcopus. Cùmque familiari colloquiô essemus usi, narravit nobis dicens, Fuit temporibus Theophili beatissimi Patriachæ Alexandrini, Cyrene Episcopus Synesius Philosophus: qui cùm venisset Cyrenem, reperit illic Philosophum quendam Evagrium nomine, qui Sodalis suus in studiis liberalibus fuerat, amicum sibi carissimum, sed religione Gentilem, & culturæ idolorum maximè deditum. Eum Episcopus Synesius ab idololatria transferre ad cultum Christi satagebat, curamque ingentem ejus rei sibi assumpserat pro charitate, quam erga ipsum à principio habuerat: ille verò minimè id patiebatur, neq; illius doctrinam admittere volebat. Episcopus tamen præ nimio ad illum amore, nec sic quidem tædiô victus, desistebat diebus illum singulis hortari, & instruere ac inducere ut Christo crederet, ipsiusque Sacramenta susciperet. Cùmque ille quotidie ista monita dare persisteret, dixit ad eum semel Philosophus. Verè mi Domine Episcope, cum cæteris quæ mihi displicent

plicent in Christianis, hoc est quod consummationem hujus sæculi futuram dicunt; & post consummationem, omnes qui ab initio sæculi fuerunt homines, in isto corpore resurrecturos carnemque hanc incorruptibilem recepturos & immortalem atque ita in perpetuùm victuros, sicque eorum quæ in corpore gesserunt, præmia percepturos: eum etiam qui miseretur pauperi, fænerari DEO; & qui dispersit in pauperes & inopes, in ullo sibi thesauros reponere, & centuplicata, quæ erogaverit, in regeneratione cum æterna vita à Christo esse reddenda. Quæ omnia, cùm dicuntur, deceptio & irrisio & fabula mihi videntur. Episcopus autem Synesius asseverabat omnia Christianorum vera esse, nihilque omnino habere falsum, vel veritati contrarium; idque multîs documentîs asserebat, & per suadere illi nitebatur. Post multum verò temporis, cùm illũ induxisset, Christianum fieri, baptizavit ipsum & Filios ejus cunctosque domesticos illius. Cæterùm non multò postea quàm baptizatus fuerat, dedit Episcopo auri tria centenaria in usum pauperum, dicens accipe aurum istud, & distribue illud pauperibus & fac mihi cautionem manu Tua, quòd Christus mihi ipsum reddet in futuro sæculo. Qui susceptô aurô, promptè illi ut petebat, cautionem fecit. Vixit itaque post baptismum annos aliquot, Philosophus, ac tandem infirmatus est ad mortem. Cùm verò morti proximus esset, dixit Filiis suis: quãdo curabitis funus meum, chartam istam in manibus meis ponite, & me cum illa sepelite. Mortuô autem illô, fecerunt Filii sicut eis ipse præceperat, sepelieruntque eum cum chirographo. Tertio autem post sepulturam die, apparuit Episcopo Synesio, nocte quiescenti, dicens: veni ad sepulchrum ubi jaceo, & accipe chirographum Tuum; accepi enim debitum, & satisfactum mihi est. Atque ut certior ejus rei fias, propriâ meâ subscripsi manu; ignorabat enim Episcopus quòd chirographum illud consepelissent ei. Manè autem facto, accersitis Filiis ejus, dixit: Num aliquid cum Patre vestro in monumen-

" to posuisti? Illi putantes, quòd eos de pecuniis interrogaret,
" dixerunt ei: nihil Domine, præter pannos consvetos. Quid
" igitur? nunquid vel chartam aliquam consepelistis ei? Tunc
" recordati Filii (ignorobant enim quod de chirographo dice-
" ret) dixerunt ei: Ita sanè Domine, chartam enim quandam
" moriens dedit nobis, & ait; quando sepelietis me, chartam istam
" mihi in manibus date, nullo penitus sciente. Tunc dixit illis
" Episcopus somnium, quod nocte illa viderat sumensque illos
" cum clericis ac Primariis civitatis, accessit ad Philosophi tu-
" mulum, quô apertô invenerunt jacentem Philosophum, chi-
" rographumque, manu Episcopi conscriptum, suis manibus te-
„ nentem. Accipientes autem chirographum ex ejus manibus,
„ aperuerunt, inveneruntque in eo noviter manu Philosophi
„ subscriptum ita: *Ego Evagrius Philosophus, Tibi Sanctissimo*
„ *Domino Synesio Episcopo Salutem. Accepi debitum in his literis*
„ *manu Tua conscriptum; satisfactumque mihi est: & nullum contra*
„ *Te habeo jus propter aurum quod dedi Tibi & per Te Christo DEO*
„ *& Salvatori nostro.* Qui verò convenerant, hoc videntes, ob-
„ stupuerunt, & per multas horas clamaverunt Kyrieeleyson, glo-
„ rificantes DEUM qui facit mirabilia, & talem tantamque pro-
„ missionum suarum evidentiam dat servis suis. Asserebat & hoc
„ idem Dominus Leontius, cautionem illam, Philosophi manu
„ subscriptam, servari usque hodie, atque in Sacrario Sanctæ
„ Cyrenensis Ecclesiæ custodiri: & quicunque Sacrarii Custos
„ ingrederetur, hanc illi cum cæteris vasis sacris assignari cu-
„ stodiendam cum omni diligentia, atque eum deinceps succes-
„ sori suo integram illam inviolatamque reconsignare] Hacte-
nus Sophronius ex Leontio de Synesio & Evagrio habeturque
hæc Historia etiam in Annalibus Card: Baronii ad annum 411.

Item de illo, qui diffamaverat S. Vincentium.

60. S. Vincentius Ferrerius, Vir Religiosissimus & ardentissimus Ecclesiastes, Sermone primo, Dominicâ in Albis ait:
„ Erant duo quidam, qui alterius famam graviùs læserant, &
„ unus quidem obtrectatorum, sicut & is, cujus fama est læsa,

etiamnum ſuperſtites ſunt. Aſt verò alter è detractoribus iſtis, „ jam vitâ functus, aliquanto tempore piacularibus flammis at- „ tentus eſt. Inde liberatus, non continuò in ſuperûm ſedes „ receptus, ſed priùs famam, quam improbè depravaverat, inte- „ gram juſſus eſt reddere. *Et ego ſcio* (inquit Sanctus Vincen- „ tius) *iſtud eſſe verùm, quòd Anima rediit, quia ego ipſe fui per* „ *ipſum diffamatus, & à me veniam petivit.*

61. *NOTA* etiam eſt Hiſtoria de quodam defuncto Doctore Pariſienſi, palam ex feretro denunciante, ſe in judicio particulari accuſatum, judicatum, & damnatum eſſe. De qua Hiſtoria ſat fusè egi in mea impreſſa Lucubratione, cui titulus *Diſſertatio de Judicio particulari.*

Prætermitto alias ferè innumeras Animarum Sanctarum & reprobarum apparitiones, ante aliquot centena annorum factas, quas referunt Sancti Patres & antiqui graves ſcriptores. Deſcendo nunc ad recenſendas aliquas Animarum apparitiones recentiores.

62. Eruditiſſimus Eccleſiaſticorum Annalium Parens Eminentiſſimus Baronius Tomô 5tô. ad Annum 411. numerô 69. habet hæc. [Haud inexplorata referam, ſed quæ cùm plurimum Eruditorum Virorum ſcimus aſſertione firmata, imò & à Reli- „ gioſis viris ad Populum pro concione ſæpè narrata. Ego ve- „ rò à quo accepi Auctorem proferam, nempe integerrimæ fi- „ dei Virum Michàëlem Mercatum Miniatenſem S. R. E. Pro- „ to-Notarium, probitate morum atque doctrinâ ſpectatum: ipſe „ enim narravit de Avo ſuo, eodem quo ipſe nomine nuncupa- „ to, Michàële Mercato Seniore, cui cum Marſilio Ficino, no- „ biliſſimi ingenii Viro, ſumma intercedebat amicitiæ conſue- „ tudo, parta & aucta Philoſophicis facultatibus, in quibus Pla- „ tonem ambo aſſectabantur Auctorem. Accidit autem aliquā- „ do, ut ex more quidnam poſt obitum ſuperſit homini ex ejuſ- „ dem Platonis ſententia, ſed non ſine tamen trepidatione, dedu- „ cerent, quæ labentia Chriſtianæ Fidei Sacramentis ſuffulcienda „ eſſent:

Item de Marſilio Ficino.

„ eſſent: eô enim argumentô exſtat ejuſdem Marſilii ad ipſum
„ Michäëlem Mercatum, erudita quidem Epiſtola de Animi &
„ DEI immortalitate. Cùm verò inter diſſerendum eorum pro
„ greſſa longiùs fuiſſet diſputatio, eam ad calcem perductam, illô
„ clauſerunt corollariô, ut junctâ ſimul dextrâ pacti fuerint; uter
„ eorum ex hac vita prior decederet (ſi liceret) alterum, de
„ alterius vitæ ſtatu, redderet certiorem. Quibûs inter ſe con-
„ ventîs, ambo jurati ab invicem diſceſsêre. Interlapsô autem
„ haud brevi temporis ſpatiô evenit,ut cùm ſummo manè, idem
„ Michäël Senior, in Philoſophicis ſpeculationibus vigilaret, ex
„ inopinato ſtrepitum velociter currrentis equi, ejuſdemque ad
„ oſtium domûs, curſum ſiſtentis audiret, vocemque ſimul Mar
„ ſilii clamantis: *O Michäël! o Michäël! vera, vera ſunt illa.*
„ Ad vocem Amici, Michäël admiratus, aſſurgens, feneſtramq;
„ aperiens, quem audierat, vidit poſt terga, ad curſum iterum
„ actô equô candidô, candidatum: proſecutus eſt eum voce,
„ Marſilium, Marſilium invocans: proſecutus & oculis: ſed ab
„ eis evanuit. Sic ipſe novi caſus ſtupore affectus, quid de Mar-
„ ſilio Ficino eſſet, ſollicitiùs perquirendum curavit (degebat
„ ille Florentiæ, ubi diem clauſit extremum) invenitque, eun-
„ dem, illâ ipsâ horâ defunctum, quâ, eô modô auditus & viſus
„ eſt ſibi. Quid tum ipſe? licèt enim antiquæ probitatis Vir
„ eſſet, innoxiamque & proficuam Omnibus vitam hactenus ex-
„ coluiſſet (prout decebat verè Philoſophum) ex eo tamen
„ tempore, vale dicens Philoſophus diſciplinis, ſolius Chriſtia-
„ næ Philoſophiæ, cæteris eminentioris propenſior cultor effe-
„ ctus; quod reliquum fuit temporis, Mundo defunctus, ſoli
„ vitæ futuræ vixit, ſpecimen edens abſolutiſſimi omnibus nu-
„ meris Chriſtiani, qui inter Philoſophos ſui temporis magna
„ cum laude claruerat, nulli ſecundus] Hucuſque Baronius.
Eandem Hiſtoriam refert P. Martinus Delrio lib: 2do Diſq, Magic: Quæſtione 26. Sectione 5ta Bonifacius lib: 15. cap: 6. & alii.

63. Appono

63. Appono narrationem hominis Aulici, nequaquam id agentis, ut suô testimoniô, fidem Ecclesiæ Catholicæ, hac in parte roboraret, sed ut posteritatem de suis eventibus edoceret. Rochefortius Gallus, in Commentario vitæ suæ, pagina 425. ita loquitur. [Parisiis in Platea S. Antonii cùm diversarer apud „ quendam balneatorem, cognomine Dubin, accidit res memo- „ randa, quæ multos & admiratione & terrore complevit. Diffi- „ culter quidem Lector narrationi meæ fidem attribuet, sed addu- „ co testes, qui adhuc vivunt, & ii de quibus agitur, sunt eti- „ am exteris cogniti; ut proinde ex iis ipsis quisque dicere pos- „ sit, an aliquid referam, quod sit alienum à veritate. Cæterùm „ non reprehendam aliquorum incredulitatem: siquidem mihi „ ipsi res ita extraordinaria videtur, ut oculis meis falsitatem „ imponerem, si possem. Duo Amici erant non postremæ con- „ ditionis, Marchio de Rambovillet, Frater primogenitus Ducis- „ sæ de Montausier & alter Marchio de Preci, Primogenitus do- „ mûs Nantovillanæ, è qua prodiit Cancellarius magni apud „ Regem favoris, qui etiam fideli obsequiô & totius regni gu- „ bernatione, (in qua maximam partem habuit) eo deduxit „ Regem, ut Romæ Cardinalitiam Dignitatem pro eo postula- „ ret. Hi igitur duo Amici, in procinctu belli (ad quod solēt „ omnes Principes ac præcipua nobilitas in Gallia semper con- „ cedere) dum de variis rebus ac etiam de Mundi alterius statu, „ sermonem miscent, variis, ultrò citròque habitis discursibûs, „ quibus testabantur se non omnino persuasos esse de iis quæ in „ hac materia passim à Christianis dicuntur; promisit unus alteri „ qui prior moreretur, Sodalem suum de tota re certiorem fa- „ cere. Hoc promissum datâ utrinque dextrâ confirmârunt, & „ lapso in aliam materiam sermone, minùs seria tractârunt. Duo „ post hæc, vel tres menses effluxerunt, & iis pariter effluxit è „ memoria totum hoc, quod pacti erant; cùm interea Marchio „ de Rambouillet, in Flandriam cum exercitu abiit, alter verò, „ nempe Marchio de Preci, febre maligna detentus Parisiis, in „

Nec non de Marchione Rembovellio notabilis Historia.

„ eodem apud Dubinum hospitio mansit. His ita actis, post „ quatuor vel quinque septimanas, horâ 6tâ matutinâ, subitò „ vela, quæ lectum Marchionis de Preci ambibant, reducuntur, „ cùmque ille visurus, quid rei esset, vultum obvertisset, ecce „ Tibi clara luce, Rambovellium conspicatur, eo habitu, quô „ Nobiles Galli dum Equites iter faciunt, uti solent. Pro- „ siliit plenus gaudiô, in collum Amici tam inopinatò venientis „ ruere volens; sed Marchio de Rambovillet duos passus retro- „ cedens, dixit. *Ejusmodi teneritudines jam hujus temporis non* „ *esse, se nunc adesse, ea tantummodo intentione, ut promissi mutuò* „ *pacti, fidem exsolveret, se enim occisum tali & tali occasione; quod* „ *autem de altero Mundo dicitur, verissimum esse, ideoque expedire,* „ *ut vitam in alios mores componat, quàm hucùsque vixerit: Futu-* „ *rum brevì, ut ipse quoque cæsus occumbat, proinde tempus quod ei* „ *superest, non esse inutiliter perdendum.* Quantum hic discursus „ Marchioni de Preci terrorem attulerit, plus cogitare quisque „ potest, quàm ego dicere: Nihilominus ille adhuc dubitans „ num reipsa Amicum videret, summo impetu ad eum ample- „ ctendum se proripit, sed nihil aliud quàm ventum amplecti- „ tur, Ille autem mortuus, incredulitatem viventis advertens, „ ostendit ei vulnus in lumbis, quod videbatur adhuc sangui- „ nem stillare, & sic disparuit, relinquens Marchionem timo- „ re planè exanimem, qui non contentus famulum propè cu- „ bantem inclamare; totam domum inconditis suis vocibûs ad se „ exscivit, & dum unusquisque ad eum properat, ego quoque „ lectô consurgo, & ejus cubiculum ingredior; ubi ex ejus ore „ totum hunc eventum accipio: sed quia tunc morbô afflictum „ noveram, visionem illam, febris intemperiei, unà cum aliis „ adscribo, & insisto precibus, ut vellet aliquantùm quiescere, „ hoc enim somniô, nimis perculsum videri: Verùm hoc eum „ fermè in desperationem egit, quòd eum, Visionarium puta- „ bamus. Itaque ut nobis eam opinionem eximeret, singulas „ circumstantias (ut ego modò retuli) prolixè enarrabat; sed

frustra:

fruſtra: ſemper enim id æſtui febrili adſcribebamus, donec „
Poſta Flandrica adveniens, Rambovellium cæſum, attulit, & „
quidem ea occaſione, quâ Precius dixit. Tum demum ſtupo- „
re attoniti, cogitare cæpimus, aliquid præter ordinem conti- „
giſſe. Res iſta cùm Pariſiis eſſet divulgata, plurimorum curio- „
ſitatem exacuit: Ego enim ipſe plus quàm certum literas acce- „
pi, rei veritatem inquirentibus; paſſim quippe id accipieba- „
tur tanquam fabella colloquiis diſtinendis affićta: & licèt o- „
mnibus modîs laboraverim, Veritatem tam apertam perſuade- „
re, ſemper tamen manſit in eorum animis aliqua ſuſpicio, cum „
tempore diſſipanda. Hoc autem dependebat maximè ab eo „
eventu, qui Marchionem de Preci ex ea prædićtione manebat, „
Unde ejus fatum quisque intuebatur, tanquam convincens „
argumentum, quòd è ſuis pulpitis, non commenta Nobis Sa- „
cri Oratores prædicent; quemadmodum id Athei, quorum „
non parvus numerus eſt, aſſerunt. Inter hæc bella Civilia „
exorta, Marchionem de Preci nec quidquam obnitentibus „
Parentibus, in caſtra evocârunt, qui in præliô ad S. Antonium „
commiſsô, paulò pòſt cæſus, magno ſuorum dolore, fidem „
viſioni fecit.] Hactenus hic Aulicus, toto planè Vitæ ſuæ tempore in obſequiis Cardinalis Richelii, & Cardinalis Mazarinii, commoratus.

V. Patri Skarga apparuerunt mortui.

64. V. P. Stanislaus Warſzawicki Regiæ Cancellariæ Præſes, Metropolitanæ Gneſnenſis Eccleſiæ Scholaſticus, & ad Epiſcopatum à Rege deſignatus, poſtea Romæ Tyrocinium Societatis ingreſſus cum B. Stanislao Koſtka, inſignem deinde egit Concionatorem & Operarium; demum in obſequio peſtiferorum, Vićtima charitatis obiit Cracoviæ annô 1591. hic ergo Pater Warſzawicki poſt obitum ſuum, claro die, meridiano ſole affulgente, conſpicuum ſe clariſſimo ſplendore exhibuit Venerabili Patri Petro Skarga periculosè ægrotanti, dixitque: *Ecquid Pater Skarga: unum duntaxat vitæ annum, à DEO Tibi prorogari expetis? cur non potius denos?* Nec vanum oſtentum fuit; tertia

die, febris penitus remisit; Petrusque in decimum exinde annum, vitam produxit. Similis & illa est, quâ alter ejusdem Societatis JESU in rebus temporalibus Coadjutor, Patrem Petrum Skargam recreavit apparitio. Ille Coadjutor artificiô murarius, Sponsâ jam promissâ, pro Christo relictâ, Societati nomen dederat, laborique suo adeo operosè insudabat, ut sæpè attritæ manus, copioso sanguine diffluerent. Adhortabatur hominem Pater Skarga, insisteret operi, in ornando Cultu Divino non deficeret, adfuturum brevì tempus, quô ipse quoque Cælitum præmîs ornaretur: animatusque adeò bonîs monitîs, accessit ad ipsam Vitæ metam, eademque, quâ è vivis excessit horâ, Patri Skarga, duodecim inde passuum millibus commoranti, manifestum se stitit, manusque sanguine olim manantes, sed nunc jam in purpureum splendentemque colorem abeuntes, ostendens: *Accepi* (inquit) *præmium sanguinis hujus, Pater.*

Obstinationis verò suæ in hæresi, quod ex Magnatibus quidã post mortem suam, debitam retulerit pœnam, comprobat apparitio sequens. Erat ex Principibus in Polonia Viris nonnemo (parcitur nomini) Lutheri tam infectus, quàm & addictus erroribus. Diu multùmque Pater Petrus Skarga, in eo ad Ecclesiæ Catholicæ Fidem unionemque adducendo, laboraverat; Sed omni labore irrito. Edixit ergo illi Pater, adfore quondam tempus: quô omnia quæ audisset de Religionis Catholicæ veritate, fateretur, confessione tamen minimè sibi proficuâ. Degebat longè Pater, & spiritualibus exercitiis seseoccupabat, cùm die quodã circa meridiem, sudô per omnia cælô, vehemens quidam turbo circum habitaculi fenestras incubuit; voxque lamentabilis aures Patris implevit: *Pater Skarga! P. Skarga! vera! vera nimis fuêre illa, quæ de Religione suasisti; sed væ mihi! væ mihi!* quam postremam lamentantis vocem, diu Pater audivit repetitam; donec demũ quasi per distantiam loci audiri desineret. Citò postea, Pater de morte Principis illius nuntium accepit, collatoque eventus sui & mortis ejus tempore, comperit, illo ipso articulô, infelicem illum in hæresi

sua

ſua defunctum. Hæ apparitiones tres habētur impreſſæ in Vita venerabilis Patris Petri Skarga, qui Regum Poloniæ, annis ultra viginti ſex egit Apoſtolicum Concionatorem, meruitque eſſe & nominari Poloniæ Apoſtolus; vivere in terris deſiit Cracoviæ, Annô 1612. 27. Septembris.

65. Non multos etiam ante annos in Regno Poloniæ contigiſſe notum eſt, quod refero. Unus è Magnatibus Jlluſtriſſimæ Familiæ (noveram illum) dum iter aliò ageret, Templum prætervectus, tumultum ibi aliquem exortum advertit. Subſiſtit tantisper, donec ex famulo, quem ſtatim illuc ad explorandam tumultûs illius cauſam miſerat, rem intelligeret. Rediit retulitque Famulus, duos inopes mortuos ſepulturâ prohiberi, eò quòd veſpillones nollent eorum corpora gratìs ſepelire & Templi Præſides. Quare liberalem pecuniam ſtatim illuc ſubmiſit ad ſepulturam illorum inopum procurandam. Proſecutus deinde iter, venit ad ſuam villam, abit in hortum ſuum ampliſſimum, in quo erat labyrinthus, cùmque ex illo labyrintho ſe non poſſet expedire, duo illi ejus beneficiô ſepulti, ei apparuerunt, & viam illi rectam indicârunt, illud adjicientes, hoc obſequio ei ſeſe Chriſtianam pietatem rependere: cæterùm datô illi monitô, ut de Animarum immortalitate poſthac non dubitaret, diſparuerunt.

Recentiores aliæ apparitiones mortuorum.

Canonico Culmenſi, Reverendiſſimo Pratnicki, flectenti ad ſuam menſulam, & recitanti Horas Canonicas, apparuit defunctus Prælatus quidam Au&oritatis Magnæ in Polonia (Nomen conſultò reticeo, etſi illud ſciam) Qui conſiſtendo ad illam menſulam, ter eam manu percuſſit, ad ſingulas vices repetendo. *Quid prodeſt!* cùmque ad tertiam percuſſionem jam animoſior factus Canonicus, vellet defunctum interrogare. Quid ſecum ageretur? defunctus diſparuit. Apparitionem hanc utpote ſub jurata Fide aſſertam ab ipſomet Pratnicki Canonico, Viro docto ac pio Fideque digniſſimo, ſine ulla hæſitatione cenſuerunt eſſe veritati conſonam omnes, quicunque illam ex ore illius Canonici audierunt, inter quos fuit & Jlluſtriſſimus Grzymułtowski

Palatinus Posnaniensis, plurimique alii Magnæ Auctoritatis Viri prudentissimi.

Prætermissis aliis plurimis ejusmodi apparitionibûs, quas certò in Polonia & alibi contigisse scio.

Demum ab Ethnicis Historicis desumpta Exempla.

66. Jam à Christianis scriptoribus ad Ethnicos provoco, qui nostræ veritati de apparitionibus defunctorum addent suffragium, tantò minùs suspectum, quantò à Christianismo alieniores sunt. Valerius Maximus libro 1mo cap. 8vo narrat, Julium Cæsarem, aliquot post ejus cædem annis, apparuisse C: Cassio (quem hic Author sine præfatione publici parricidii nominare noluit) dum acie Philippensi ardentissimô Animô perstaret. Vidit eum (inquit) humano habitu augustiorem, purpureô paludamentô amictum, minaci vultu & concitatô equô, in se impetum facientem: quo aspectu perterritus, tergum hostì dedit, voce illa priùs emissa: *Quid enim ampliùs agas, si Occidisse parum est?* Idem eodem loco ex Platone refert, Erum Pamphilium inter eos qui in acie ceciderant, decem diebûs jacuisse, postquam inde sublatus esset impositum rogo revixisse, ac mira quædam tempore mortis visa narrâsse. Idem Valerius lib 1mo cap. 7mo refert de duobus familiaribus Arcadibus, qui cùm Megaram venissent, quorum alter ad hospitium se contulit, alter in tabernam meritoriam, huncque saucium & occisum à caupone, Socio se obtulisse, ut qui vitæ auxiliũ ferre in somnis monitus neglexisset, saltem ultionem necis non negaret, corpus enim suum à Caupone trucidatum tũc maximô plaustrô ferri ad portam stercore opertum: Quod Socius & verum invenit, & Cauponem ad capitale supplicium perduxit. Et eodem capite 7mo scribit, Simonidem Pòétam, cùm ad littus, navem appulisset, inhumatumq; corpus jacens, sepulturæ mandasset, admonitum fuisse ab eodem ne proximo die navigaret, & ideo in terra remansisse, Eos autem, qui inde solverant, fluctibûs & procellis in conspectu ejus fuisse obrutos. Refert etiam Cicero 1mo De Legibus. Romulum, qui Romanæ Urbis jecit fundamenta, post mortem apparuis-

apparuiſſe Proculo Julio. Ovidius quoque 5to Libro Faſtorum ſcribit. Remum interemptum à Fratre, apparuiſſe Fauſtulo & Accæ. Homerus Iliade vigeſimâ tertiâ ſcribit, Animam Patrocli apparuiſſe Achilli, eumque pro ſepultura in ſomniis admonuiſſe. Idem in ſua Odyſſæa ſcribit, apparuiſſe Ulyſſi, Animas Achillis, Minòis, Orionis, Syſiphi, &c.

NOTA 1. Animam à Corpore ſeparatam vivere, probavi in hac IX. Quæſtione Exemplîs, & quidem plurimis, idque etiam ex eo: quia ut ſapienter Ariſtoteles Probl: Sect: 183. aſſerit. *Per Exempla perſuaderi nos ſinimus faciliùs & citiùs, quàm per leges & rationem.* Macrobius etiam lib: 7. ſaturnal: ait. *Multa ingenia magìs Exemplîs, quàm ratione capiuntur.*

NOTA 2. Admiſsô, quòd Anima humana ſaltem aliquo tempore vivat, defuncto homine, rectè ſequitur, Eam ſemper vivere. Vide infra in Quæſtione XI. num: 85.

QUÆSTIO X.

An ex eo etiam evincitur immortalitas Animæ, quòd negata immortalitate ipſius, ſequatur aliquod inconveniens?

68 R*Eſpondetur. Quidni? Utique docent Juriſconſulti & Theologi apud Barboſam in Opuſc: de Locis Probationum. Nullum Argumentum eſſe validius, quàm ab abſurdo ſeu inconvenienti vitando.*

Quàm deteſtanda ſequũtur inconvenĩẽtia ex admiſſa impia opinione de mortalitate Animæ? Inconveniens primum.

Ex negata verò immortalitate Animæ, non unum, ſed plura graviſſima ſequuntur abſurda. Scilicet.

imò ſequitur, quòd omnes ferè articuli Fidei Chriſtianæ, (quæ eſt omnimode veriſſima,) corruant. Age enim, ſi vitam poſt mortem

tem futuram non credis, quomodo credes reſurrectura ad Vitam eandem, corpora? Et ultra, quomodo credes, venturum Judicem Chriſtum, ut reddat unicuique juxta merita ſua, præmium aut pœnam? Inſuper, quomodo credes; alios eſſe prædeſtinatos, alios reprobos? quod ubi negaveris, quomodo credes Filium DEI, ſanguine ſuo, Electis efficaciter gratiam & Gloriam meruiſſe? atque ob id mortuum eſſe? Hôc autem non admiſsô, quomodo credes, eundem Filium DEI è cælo deſcendiſſe, Naturamque Humanam de Sacratiſſima Virgine ſumpſiſſe, Eccleſiam ſuam conſtituiſſe, Sacramentîs muniviſſe, Doctrinâ inſtruxiſſe? quod totum ſi rejeceris, unde quæſo cognoſces eundem Filium DEI, Patri conſubſtantialem, ejuſdem cum illo Naturæ, ſed diſtinctæ Perſonæ, adeoque qua ratione apparebit Tibi credibile Auguſtiſſimum SS. Trinitatis Myſterium, Fons & Caput Fidei Catholicæ? Vide, quàm crudeliter unico ictu Religionem jugulaſti? Nec mirum: Vitam enim æternam, hoc eſt, jugulum, Cor & Animam ejus petiſti. Hæc fuit (ut ego ſentio) S. Apoſtoli Pauli argumentatio 2. ad Corint: cap: 15. *Si mortui non reſurgent, neque Chriſtus reſurrexit: quod ſi Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt prædicatio noſtra.* hic enim arguendi modus eſt ſoryti perſimilis, in quo ex multis præmiſſis, una infertur Concluſio, vim habens ex connexione primæ aſſumptionis, quæ non facilè apparet, niſi per alias intermedias propoſitiones deducatur. Ita progreſſus eſt Doctor Gentium. Si (*inquit*) negatis reſurrectionem mortuorum ad vitam æternam; ergo fruſtra vobis fidem in Chriſtum prædicamus, adeoque omnem articulum, quem vobis credendum proponimus, tanquam impoſturam rejicite; ſi enim adduci non poteſtis, ut mortuos reſurgere credatis; nullîs id argumentis aut miraculîs perſuadere valebimus, quòd Chriſtus ſurrexit à mortuis; hoc autem ubi in dubio relictum fuerit, quomodo cætera omnia Fidei dogmata conſiſtent?

Inconveniens 2dum. 69. *2dum ſequitur abſurdum.* Scilicet, falſam eſſe Sacram Scripturam tam Veteris quàm novi Teſtamenti, falſa oracula

Pro-

Prophetarum quæ utique clarè docent immortalitatem Animæ, ut conſtat ex dictis ſuprà ſub Quæſtione IV.

70. *3tio Sequitur*. deceptos eſſe omnes qui Sanctitate Vitæ, Prophetiæ donô, Miraculorum Gloriâ, eminentiſſimâ Sapientiâ fuêre ſemper celeberrimi, ſoliſque impuriſſimis, improbiſſimis Epicuræis manifeſtatam eſſe veritatem. Deceptos item enormiſſimè omnes qui pro veritate Chriſtiana, Sanguinem effuderunt; hi enim omnes ſanguine ſuo comprobârunt immortalitatē Animæ. Porro innumeri ferè fuêre Martyres. *Totum Mundum Fratres aſpicite* (loquor verbis S. Gregorii Magni, Homilia 27. in Evangelia) *Martyribus plenus eſt, jam pænè tot, qui videamus, non ſumus, quot veritatis teſtes habemus* pro immortalitate Animæ. Certè Genebrardus in Pſalmum 78. & P. Franciſcus Arias, 1. parte de Imit: Chriſti, tract. 3, cap 35. aſſerunt, Tantum eſſe numerum Martyrum, ut ſingulis diebûs totius anni, poſſint celebrari Ritu Eccleſiæ Univerſalis, plura quàm triginta millia Martyrum. *3tium.*

71. *4to. Sequitur*. Homines Sapientiſſimos, eſſe infeliciſſimos. Quia homo quò eſt ſapientior, eò magìs cognoſcit incertitudinem horæ mortis, propter tot pericula, caſus, infortunia; unde ſi magìs cognoſcit incertitudinem vitæ, timet ſæpiùs incertitudinem mortis, utpote omnium illius partium deſtructivum; ſi timet ergo; triſtatur; ergo eſt infelix; quæ tamen infelicitas nulli brutorum contingit. *4tum.*

72. *5tò Quia per illam deteſtandam opinionem* redduntur homines improbi, & proſcribitur omnis Virtutum Moralium uſus. Nam inprimis, ſi non ſupereſſet Anima poſt fata, quis quæſo vellet mortem pro Patria, pro Juſtitia oppetere? quâ enim ſpe boni ad id induceretur? In tali quippe ſuppoſitione. Mors eſſet ſummum malum; utpote privatio non tantùm omnium bonorum hujus vitæ, ſed etiam abſolutè totius hominis, per quam in eo ſtatu reponeretur, in quo erat, antequam naſceretur. Jam quis ita demens eſt, ut eligat ſummum malum ad promovendum aliquod utique non ſummum Bonum, qualis eſt conſervatio Pa- *5tum.*

triæ, demonstratio veritatis, aut vindicatio injuriatorum? Pariter hac opinione de interitu Animæ præoccupatus, quis fidem alteri, fædus, amicitiam servare vellet, præsertim si aliquibus illiciis retrahatur, aut si inde sibi vitæ periculum timeat? Potiùs enim sibi vellet esse commodo, quàm cuivis alteri; siquidem in hac impia suppositione, conservatio sui in vita, esset summa Regula morum, & mensura omnium actionum eligendarum aut rejiciendarum, adeoque quidquid ad hanc conservationem vitæ conducit, hoc solùm est virtus & actio honesta; utpote medium ad felicitatem & beatitudinem obtinendam. Quinimò ipsa etiam vitia, & abominanda quæcunque facinora, si ad vitam conservandam aliquid conferrent, non tantùm committi licitè possent, sed etiam tanquam Virtutes, laudabiliter patrarentur, & in certis casibus teneretur homo ad ea patranda: Videlicet si aliter mortem effugere non posset. Itaque reus ad mortem damnatus, posset licitè, imò & deberet, Judicem, Accusatorem, & testes è medio tollere, si aliter supplicium evadere illi est impossibile. Pariter posset quemcunque, etiam Parentem, bonis Omnibus spoliare, quia hæc ad vitam mortalem commodiùs conservandam faciunt; & sic sceleri nefando, nomen erit Virtus. Sicut apud Christianos, ab omnibus rapinis & cædibus abstinere, tenetur homo, quia ad vitam æternam consequendam præpediunt.

6tum. 73. *6to. Ex admissa impia illa Opinione, sequitur*, vitam per flagitia exactam, beatiorem esse & magìs expetendam, quàm quæ honestis actionibus & virtutibus traducitur: siquidem virtus est laboriosa, ardua, & multis molestiis septa: Vitium autem est facile, molle, ac sensibus arridens. Si ergo nihil restat sperandum præter id, quod in hac vita offertur; nonne potiùs laxanda essent frena libidini, quàm sine ulla prorsus utilitate ac præmio, tanto labore ac sudore quærere & conservare virtutem statim perituram? Epitaphium illud tumulo Sardanapali inscriptum, tanquam prima veritas, meritò ab omnibus acceptanda esset. Ede bibe, lude, post mortem nulla voluptas. Et rectè impii apud Isaiam

Isaiam cap: 22. dixissent: *Comedamus & bibamus, cras enim moriemur.* Beneque intulissent Sap: 2. *Exiguùm cum tædio est tempus vitæ nostræ, & non est refrigeriùm in fine hominis, & non est qui agnitus sit reversus ab inferis, quia ex nihilo nati sumus, & pòst erimùs, tanquam non fuerimus. Venite ergo fruamur bonis, quæ sunt, vinô pretiosô & ungventô nos impleamus, coronemus nos rosis, antequam marcescant, nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra, nemo nostrum expers sit luxuriæ nostræ, quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors.* *Nota.* Illa verba suprà citata ex Isaiæ cap: 22. *Comedamus* &c. *cras moriemur.* Cùm protulisset S. Paulus 1. ad Corinth; 15. versu 32. sapienter subjunxit: *Nolite seduci.* Quæ subjungenda etiam censeo immediatè adductis ex Lib; Sap: cap: 2.

74. *7mo. Quia ex negata immortalitate Animæ sequitur,* quòd homo constituatur saltem in proximo Gradu ad Atheismum, ut probavi in Libro meo, cui titulus. *Gradus ad Atheismum.* Unde & Doctissimus Cornelius à Lapide in libri Sapientiæ caput 1. ait: *Sicut Animæ immortalitas impellit hominem ad metum cultumq; Numinis per modestiam puramque vitam; sic mortalitas Animæ homini persuasa, inducit eum ad negandum Numen, omnemque religionem, ut homo liberè vivat, sequaturque suas libidines.* Deducit eum inquam ad negandum Numen, quia si Anima penitus perit, sequitur DEUM nec esse Justum, nec Providum, nec esse Ens summe Bonum, ut deductum suprà. Inconveniens 7mum.

75. Cùm ergo præter alia, tot & tanta absurda & inconvenientia sequantur ex Propositione negante immortalitatem Animæ, Infertur evidenter, Propositionem illam esse erroneam, eô enim ipso, est rectæ Rationi dissona. Omne enim inconveniens & absurdum est rectæ Rationi dissonum. Si dissona; ergo non est vera. Verum enim est consonum rectæ Rationi. Ergo erronea.

Illustratur. Arbor est virulenta ex qua fructus prodeunt virulenti; Non potest enim arbor bona, malos fructus facere,

neque arbor mala, bonos fructus. Ut rectè Salvator noster pronuntiavit. Ergo etiam illa Propositio de mortalitate Animæ, est erronea, & quidem gravissimè, siquidem ex illa sequuntur, tam horrenda inconvenientia ut deductum.

QUÆSTIO XI.

Suntne adhuc Rationes præter superiùs recensitas, & quænam illæ ad probandam immortalitatem Animæ?

Rationes multifariæ pro immortalitate Animæ.

76 R*Espondetur.* Præter recensita superiùs Argumenta, afferri solent à gravibus Authoribus pro immortalitate Animæ, etiam hæ Rationes, quarum quædam conducunt ad confirmanda Argumenta, in superioribus Quæstionibus proposita: quædam verò valent ad ea illustranda.

Porro inter illas Rationes, sunt & hæ.

I.

Multi etiam naturaliter passi sunt aliquam exstasim. Nam S. Augustinus, lib: 14. de Civit: DEI Cap: 24. ita scribit. *Presbyter fuit quidam, nomine Restitutus in Paræcia Calamensis Ecclesiæ: qui quando ei placebat, rogabatur autem ut hoc faceret ab eis, qui rem mirabilem coram scire cupiebant, ad imitatas quasi lamentantis cujuslibet hominis voces, ita se auferebat à sensibus, & jacebat simillimus mortuo: ut non solùm vellicantes atq; pungentes, minimè sentiret; sed aliquando etiam igne ureretur admoto, sine ullo doloris sensu, nisi postmodum ex vulnere: non autem obnitendo, sed non sentiendo, non movere corpus, eo probabatur, quòd tanquam in defuncto, nullus inveniebatur anhelitus: hominum tamen voces, si clariùs loquerentur, tanquam de longinquo se audire postea referebat.* Et

Conimbricenses in 3. lib: Aristotelis de Anima cap: 8vo. Artic: 3. narrant, Socratem, Platonem, Trismegistum, & alios sæpè fuisse in exstasim raptos, & ab omni sensu alienatos. Iidem Conimbricenses locô citatô, addunt. [Itaquè verisimile est, posse aliquos, velut ex naturæ privilegio, in aliquo eventu & circum- „ stantiis, naturaliter Exstasim pati : ad quod multùm confert cu- „ jusquè temperamentum, melancholici enim, quemadmodum „ suopte ingeniô sunt cogitabundi, sic ad istiusmodi raptum à „ sensibus, procliviores habentur.] Per hoc tamen non negatur, in plerisque sanctis, Exstases miraculosè contigisse. Ex dictis infertur. Siquidem Exstasis est alienatio Animæ à sensibus & sola attentio ad operationes intellectuales. Ergo Anima potest operari independenter ab omni sensu corporeo ; proinde & existere sine Corpore: siquidem independentia in operando, arguit independentiam in essendo.

2.

77. Si Anima humana non esset immortalis, conqueri quis posset de DEO, quòd suæ sapientiæ non satìs rem congruam fecerit; utpote, qui servitia & mancipia, ac domicilium hominis, nempe Cælos ac terram innovandam, velit perpetuò duratura; ipsum verò Dominum, propter quem hæc, cum his, quæ in eis sunt condita, & sub cujus pedibus omnia subjecit, id est, Hominem, velit simul cum Anima & Corpore exstingui ; & sic Hominem, ad suam imaginem & similitudinem, creatum, ad brutorum funera rejecerit. Item quòd Cælos & sidera, quæ suis influentiîs & luce diurna, nocturnaque, hominibus deserviunt, imò & eorum materiam, voluerit esse naturaliter incorruptibilia ; & Animas hominum, propter quos hæc sunt condita, corruptibiles juxta dogma Epicureorum.

3.

78. Natura humana secundùm Mentem, quòd sit incomparabiliter præstantior omnibûs animalibûs brutîs, certum est. Admissâ autem Sententiâ Epicureorum, nihil esset calamitosius,

quàm Natura humana; hæc enim ſubjicitur innumeris ærumnis, curis, timoribus; tabeſcit invidiâ, conficitur mærore; ſæpè premitur paupertate, exiliô, ſervitute, infamiâ &c. Longiùs item vivunt Cervi, Elephanti, Corvi, voluptatesq; corporis habent abundè.

4.

79. Homo eſt poſitus in medio Naturæ intellectualis, purè ſpiritualis, & materialis. Unde dicitur *Horizon Creaturarum*. Ergo participat corruptibilitatem quò ad corpus ab Entibus purè materialibus; & incorruptibilitatem ab Entibus purè ſpiritualibus, ut ſunt Angeli.

5.

80. Non poteſt negari, Animam eſſe longè melioris conditionis, quàm Corpus; ſed Corpus non ſtatim corrumpitur poſt mortem. Ergo Anima nunquam. *Adde*. Quòd Corpus non ita corrumpitur, ut annihiletur. Ergo multò minùs Anima.

6.

Formarum partialium ſubſtantialium Auctores graviſſimi, tenent probabiliter, materiam eſſe poſſe ſine forma ſubſtantiali totali, imò defacto aliquando exiſtere ſine illa, formasque partiales ſine totali. Quidni ſine Corpore Anima ſpiritualis?

7.

81. Si Anima humana ſimul cum corpore deficeret; ita omninò poſt mortem ſe haberet Homo, ſicut ſe habent merè poſſibilia, antequam exiſtant; Utrumque enim æquè eſſet nihil. Sed hoc eſt falſum etiam ex eo; quia eſt naturalis inſtinctus, ob quem plus timemus & ſperamus ab homine mortuo, quàm nondum nato, ſeu merè poſſibili.

8.

82. Immortalitas probatur Animæ ex honore Mortuis habito; quod indicat, Animas eſſe adhuc ſuperſtites; aliàs fruſtra iis honor hic exhiberetur.

9. Quòd

9.

Quòd nunquam liceat mortuis detrahere, eosque diffamare, idque ex eo provenit, quòd Mortui habeant jus ad suam famam; proinde Animæ eorum existunt; quod enim non est, jus nullum habere potest.

10.

Hoc idem suadet horror, qui naturaliter omnibus incutitur, dum inspicitur cadaver hominis, vel dum sepulchra mortuorum ingredimur. Nullus autem horror incutitur aspiciendo cadavera vitulorum, volatilium &c.

11.

Idem suadetur ex conscientiæ clamore & anxietate, præsertim dum morti sunt proximi etiam illi ipsi negantes immortalitatem.

12.

83. Quia S. Gregorius Nyssenus Orat: Catechet: cap: 8vo. sic argumentatur. *Mors non attingit Animam; quomodo enim dissolvi potest, quod non est compositum?* Similia habet lib: de Anima & Resurrectione. Nec non ante illum, Sanctus Gregorius Neo-Cæsari lib: de Anima. dicit. *Cùm Anima, corpore careat, simplex est; Consequens autem mihi videtur, ut quod est simplex, sit immortale.* Eadem habet & S. Jrenæus lib: 5. cap. 7mo.

13.

Quod est essentialiter Vita spiritualis, non potest mori; unde dicit S. Bernardus sermone 81. in Cantica. *Immortalis est Anima, quoniam cùm ipsa sibi vita sit, sicut non est, quò cadat à se, ita non est, quò cadat à vita.* Idem antea asseruit S. Ambrosius lib: de bono mortis. cap: 9. & 10. Certùm autem est quòd Anima sit essentialiter vita, & quid spirituale: datque vitam corpori: Ergo ipsa non potest mori. Sicut sal, quia confert incorruptionem, ipse non corrumpitur.

14.

Quia Anima, præterquam quòd sit indepedens à subjecto, nihil insuper habet sibi contrarium, quod ipsam destruat. 15.

15.

84. Alphonſus Aragoniæ Rex, ſat bene, Magnum Argumentum immortalitatis eſſe dicebat: quòd corpus in hac vita decreſcat, ac per omnia membra, ſuos quaſi fines & terminos habeat. Animi verò quantò ad annos accedunt, tantò magìs in diligentiâ, virtute, ſapientiâ creſcunt.

16.

Meliùs eſt mori, quàm peccare ſaltem graviter: id enim ratione naturali innotuit ipſis Ethnicis. Unde Juvenalis Satyra 8. ait. *Summum crede nefas, vitam præferre pudori.* Quod ſi Anima periret ſimul cum corpore, tunc non eſſet meliùs mori quàm peccare; mors enim hominis, eſſet ſummum illius malum, quia auferret ſummum ejus bonum intrinſecum, nempe vitam præſentem. Recta autem Ratio dictat: quodvis malum pro ſummo malo avertendo ſubeundum eſſe, & quodvis bonum pro ſummo bono retinendo deſerendum.

17.

Ipſi Dæmones, qui inſerviunt Magis (ut teſtantur exempla tot, & tantîs comprobata teſtimoniîs) manifeſtè illô ſuô ſervitiô comprobant, Animam non perire mortuô corpore. Quod enim lucrum obveniret dæmoni per ſua ſervitia, ſi Anima cum corpore perit ?

Conſiderationes notabiles. 85. *NOTA imo.* Si concedatur Animam humanam poſſe naturaliter poſt mortem manere unâ horâ, vel die: eo ipſo concedi debet, poſſe illam & ſemper manere; nihil enim eſt 2dâ horâ, vel die 2do vel annô & ſic deinceps, quod ejus deſtructionem naturaliter exigat magìs, quàm primâ horâ poſt mortem hominis. Et hinc etiam inter alia arguitur erroris, ſententia quorundam Stoicorum, qui dicebant, Animas imperitorum hominum, corpore ſolutò, paulatim debilitari & perire. Lux & ſpecies ſoni, & ſimilia, etſi non habeant contrarium, deſtruuntur tamen, quia ſunt qualitates, eſtque experientia pro illis, quod deſinant. Sonus, item & ſimilia ſunt accidentia per ſe defectiva

per

per partes incipiunt: habent insuper conservativam sui causam defectibilem; nihil autem his simile ostendi potest in Anima humana, quæ est substantia & quidem spiritualis indivisibilis.

NOTA 2. Argumenta supra 17. in superioribus septem Quæstionibus proposita: item Rationes contentæ in præsenti XI. Quæstione saltem hæc in simul sumpta, siquis rectè debitè perpendet, non dubito, quin dicturus sit cum Divo Augustino lib: de immortalitate Animæ cap: 4to. *Manifestum est, immortalem esse Animam humanam.*

NOTA 3tiò. Doctissimus Pater Thomas Comptonus S. J. insignis Philosophus & Theologus, in suis Disputationibus in libros Aristotelis de ortu & interitu, Disputatione Decima, postquam citavit Decretum Concilii Lateranensis sub Leone X. quod vide supra sub Quæstione IV. num: 24. subjungit hæc. [Meo ergo judicio, non satis consultò, quidam rationes à Philosophis, „ ac Theologis pro Animæ immortalitate afferri solitas enervare „ conantur; longè sanè meliùs, Reipublicæque Christianæ utiliùs „ operam suam collocassent in doctrina hac, quæ totius ho- „ nestæ vitæ Fundamentum est, pro viribus stabiliendo, ac fir- „ manda potiùs, quàm suis eam probationibus destituendo, cùm „ nulla ratio sit tam clara, ac solida, cujus vim imminuere, quis „ si velit, & argutiis quibusdam offundere ei tenebras non pos- „ sit.] Judicium hujus Theologi, cum plurimis aliis Theologis collaudo & summè approbo.

QUÆSTIO XII.

Qualisnam immortalitas convenit Animæ rationali? An essentialis, an naturalis, an gratuita?

 86. *Antequam*

Immortalitas quotuplex.

86 ANtequam Respondeam. Præmitto, Immortalitatem *essentialem*, esse illam, quæ omnimodam habet necessitatem existendi, sitque independens & imparticipata à DEO. *Naturalis* immortalitas illa est, quâ, res aliqua jam producta, ex natura sua exigit, ut semper duret; licèt absolutè possit à DEO destrui. Immortalitas *gratuita* est illa, quæ rei cuipiam ex mera DEI benignitate & decreto provenit, quo decrevit, rem aliquam semper in suo esse, conservare. Hoc præmisso, Certum est apud Christianos, quòd Animæ non conveniat immortalitas essentialis, nec ulli creaturæ, sed soli DEO convenit, de quo proinde S. Paulus 1. ad Timotheum cap. 6. versu 16, ait. *Qui solus habet immortalitatem*. Nunc ergo solùm quæritur; an Anima semel producta, exigat à DEO ex natura sua semper esse, nunquam corrumpi? Et

Respondeo. Animæ Rationali convenit immortalitas naturalis.

87. *Ratio est*. Quia ex una parte possibilis est aliqua forma substantialis, spiritualis, quæ ex natura sua sit immortalis, seu petat & exigat semper durare, conservari, nunquam destrui; quæ enim in hoc implicantia? Ex altera autem parte, Animam humanam esse talem, seu esse ex natura sua immortalem.

Probatur multipliciter. *Primò*. Quia id videtur definivisse Concilium Lateranense sub Leone X. Sessione 8va. Dicit enim Animam rationalem naturâ suâ esse formam Corporis & esse immortalem. Vide Quæst: IV. num: 24. sicut ergo Animæ convenit, seu ei est connaturale, esse formam humani corporis; ita & esse immortalem.

Anima est ex Natura sua immortalis

88. *2dò*. Quia id asserunt Sancti Patres. Ex eo enim, quòd Anima sit substantia simplex, spiritualis; inferunt esse immortalem; item ex eo, quòd sit Vita, ut Gregorius Nyssenus, Cæsariensis, Irenæus; Bernardus: vide suprà sub Quæstione XI. numero 83. Alii autem Patres ex eo, quòd sit ad Imaginem DEI facta; ut Cassiodorus, Faustus, Mamertus. Vide sub Quæstione VII. numerô 48. Jam autem Anima est ex natura sua, substan-

tia

tia simplex spiritualis & ad imaginem facta DEI. Ergo etiam ex natura sua est immortalis.

3tiò. Quia multi Philosophi Gentiles censuerunt Animam, esse immortalem. Vide sub Quæstione III. Ergo apparet immortalitatem Animæ esse ei connaturalem, & non merè donum gratuitum. *4tò.* Ex eo, quia Anima est substantia spiritualis elicitiva tot nobilissimarum operationum; & quia præmium & pæna in aliam vitam reservantur. Vide supra, Quæstionem V. & VII. Nullum item est fundamentum denegandi Animæ humanæ ejusmodi immortalitatem. *Accedit.* Quia Creatio, ita & annihilatio non potest fieri naturaliter à Creatura. Sed si Anima destrueretur, tunc annihilaretur: non destrueretur enim manente illius subjecto. Nam illô caret. Ergo Animæ convenit immortalitas Naturalis.

89. *NOTA.* S. Sophronius Episcopus Hierosolymitanus (qui floruit Anno Christi 630.) dicit in Epistola sua, quæ à Concilio Constantinopolitano 6to, Sessione 11. est approbata. *Anima est immortalis per gratiam, non verò est immortalis per naturam.* Propositio illa distinguenda sic. Anima est immortalis per gratiam, purè gratuitam & supernaturalem. Negatur. Per gratiam connaturalem, & Beneficio creationis connaturaliter debitam. Conceditur. Similiter. Non est immortalis per naturam, prout natura opponitur gratiæ supernaturali. Negatur. Prout opponitur gratiæ naturali in beneficio creationis fundatæ. Conceditur. Aliàs independens à DEO foret.

QUÆSTIO XIII.

Quænam contra immortalitatem Animæ afferuntur Objectiones à Plinio secundo, Panetio, & Lucretio?

90 **P**Ræmitto. Plinius ſecundus, in Romana Equeſtri militia fungebatur Præfecturâ ſat honorificâ, procurationesque ſplendidas adminiſtraverat, ac inter ſuæ ætatis Gentiles Hiſtoricos, non poſtremus. Periit ille clade Campaniæ; nam cum Miſenenſi Claſſi præeſſet, & flagrante Veſuvio, ad explorandas propiùs cauſas, naviculâ perveniſſet, neque adverſantibûs ventis remeare poſſet, vi pulveris ac favillæ Veſuvianæ, oppreſſus eſt, non ſine intenſo dolore ſuorum Amicorum. Id tamen magìs dolendum, quòd fuerit non tam idololatra, quàm veriùs impius Atheus; dubitabat enim de Exiſtentia DEI, inquiens librô 2. Hiſtoriæ Naturalis, cap: 7. *Quisquis eſt DEUS, ſi modo eſt alius.* & lib: 27. cap: 3. refundit omnia in Naturam, dum ait: *Parens rerum omnium & Magiſtra, Natura.* Inſuper lib; 7. cap, 55. apertè negat immortalitatem Animæ humanæ; *Omnibus* (inquit) *à ſuprema die, eadem quæ ante primum; nec magìs à morte ſenſus ullus, aut Corpori aut Animæ, quàm antè natalem: Eadem enim vanitas in futurum etiam ſe propagat, & in mortis quoq; tempora ipſa ſibi vitam mentitur, immortalitatem Animæ dando.* Quod ipſum probat ex eo. *Quod enim* (inquit) *Corpus Animæ per ſe, quæ materia? ubi cogitatio illi? quomodo viſus, auditus, aut qui tangit, qui uſus ejus, aut quod ſine his bonum? Quæ deinde ſedes? quantave multitudo tot ſæculis Animarum? quæ iſta dementia eſt, iterari vitam morte!* Hæc inſipienter à Plinio dicta, clariùs ſic proponuntur & refelluntur.

Execrandi errores Plinii.

Objectiones Plinii.

91. **S**I Animæ hominum poſt mortem vivunt, non poteſt explicari, quod nam Corpus vel materia, Animam ſeparatam comitatur? Item, ubi nam ſint? quid agant extra Corpus? quomodo vident, audiantque? ubi illis eſſet cogitatio, cùm careant Capite & cerebro? Non poteſt item explicari: Quod nam bonum ſit illarum Animarum extra ſenſus, quibus carent? Quantus earum numerus? quomodò vitam morte iterarent?

Reſpondetur ad ejus Quæſtiunculas & objectiones adverſus immortalitatem Animæ.

Ad

Ad has Plinii Quæstiunculas Respondetur.

Ad primam. Nullum Corpus vel materia comitatur Animas, cùm hæ sint substantiæ purè spirituales, per se absolutè independentes à materia vel Corpore.

Ad secundam Quæstiunculam. Impiæ Animæ sunt apud inferos, quod etiam Antiquitas Gentium sentit, stygem, erebumq; illis assignando. Animæ justæ, sunt apud Superos in cælis; Antiquitas collocabat eas in Campis amænissimis hortisque elisyis.

Ad tertiam. Animæ sanctæ DEUM contemplantur, eôq; fruuntur, ut summô Bonô. Impiæ, ob sua flagitia, inferni pænas patiuntur.

Ad 4tam & 5tam. Animabus separatis à Corpore, non est opus sensuum ministeriô; cùm omnia tunc Mente percipiant, prout substantiæ aliæ purè spirituales completæ seu Intelligentiæ; estquè illarum cogitatio ibi, ubi & Intelligentiarum seu Angelorum, scilicet In Potentia intellectiva, sicut Actus voluntatis, in Potentia earum volitiva.

Ad 6tam & 7mam. Quæstiunculam respondetur. Extra sensus, & sensibûs perceptibilia, nullum Animæ bonum agnoscere, est Atheorum & Epicureorum existimantium beatitudinem hominis, sitam totaliter in oblectamentis sensuum Corporis. Tot sunt Animæ separatæ, quot sunt homines mortui.

Ad 8vam tandem, respondetur. Animæ post mortem Corporum non iterant vitam, sed eam continuant, in Corpore inchòátam, habitamquè; nec illis adempta vel interrupta est vita per mortem corporis, etsi fuerit interrupta vita corporis per eam. Quod si resuscitaretur à morte Corpus, ut pluribus prodigiosè contigit, & continget omnibus ante ultimum DEI Judicium, tunc vita restitueretur Corporibus per mortem amissa, non Animabus, quæ semper vixerunt & in corpore & ab eo separatæ.

Procul dubiò Plinius à multo jam tempore (vivebat enim sub Vespasiano (qui imperare cæpit Annô Christi 72.) eiq; dedicaverat suos libros 37 Historiæ Naturalis) in inferno experimen-

taliter novit, quid agant Animæ damnatæ in gehenna: Cognoſcitquè, & videt ſine oculis nunc corporeis, ſuum infeliciſſimum ſtatum, per totam æternitatem ſemper duraturum.

Objectiones Panetii proponuntur & ſolvuntur.

Reſpondetur ad Objectiones Panetii.

92. Panetius quidam, olim teſte Tullio, contra immortalitatem Animæ objiciebat hæc.

Primò. Quod natum eſt, interit. Anima naſcitur; quod patet ex ſimilitudine ingeniorum in Filiis, proinde interit. *Reſpondetur.* Conſtat aliundè, Animam hominis non naſci ex carne, ſed à DEO creari, probatq; id ejus Intellectus & ſcientiæ ac Mens, quiddam Divinum non Corporeum. Nec omne natum, interit; nam juxta ipſos Ethnicos, Dii Veterum, ex hominibus plerisque nati, ut Jupiter ex Saturno, Romulus Herculesq; & alii, qui tamen cenſebantur Immortales. Major item ſimilitudo in brutis eſt, quæ tamen naſcuntur irrationalia. Et ex complexione variantur ingenia vel acuuntur. Deniq; multi diſſimiles ſunt ſuis Parentibus; quomodo ergo ex illis nati cenſerentur?

2dò objicitur ab eodem Panetio. Quod dolet, ægrum eſſe poteſt; ægrum autem ex morbo interit: Aſt Anima dolet; ergo ex ægritudine poteſt mori. *Reſpondetur.* Corpus, non Anima morbos corporales patitur, ex quibus Corpus etiam tantùm interit; nimirum Anima eſt Spiritus non Caro; quare Corporis morbi, ſpiritum non afficiunt, nec enecant. Porro Animæ dolor, triſtitia eſt: ſed hæc quando eſt mortis cauſa, Corpus interit, non Anima.

Objectiones impii Lucretii.

Nec non ad Objectiones Lucretii.

93. Objicit is *imò. lib: 1. de rerum Natura.* Ignoratur, quæ ſit origo Animæ humanæ. Item neſcitur quidnam ſit definitivè Anima humana. Ergo exſtinguitur ſimul cum Corpore. Poſſet abſolutè & rectè, negari Conſequentia, omiſſo Antecedente. Sed interim negatur Antecedens. Produci-

tur enim Anima rationalis à DEO ex nihilo, seu creativè. Ratio inter alias est & hæc. Quia aliàs deberet educi è materia tanquam è vera causa materiali illius, & quidem adæquatè. Cùm nulla alia causa passiva, etiam inadæquata illius assignari possit. Sed Anima rationalis non educitur è materia. Nulla enim substantia spiritualis potest educi, præsertim adæquatè, è materia. Producitur autem à solo DEO. Solius enim DEI est, producere aliquid creativè. Vide etiam dicta, infrà in Notato 1mo, numerô 96.

Porrò ad Quæstionem. Quid sit definitivè Anima humana? Respondeo. Doctissimus Cornelius à Lapide, in Caput 2dum Genesis, adducit ex variis Auctoribus septem definitiones has 1. Sancti, Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus. Item Eucherius & Liranus, Animam rationalem ita definiunt: *Anima est Deiforme spiraculum vitæ.* 2. Auctor de Spiritu & Anima apud sanctum Augustinum Tomo 3tio: *Anima* (inquit) *est substantia quædam incorporea, rationis particeps, regendo Corpori accommodata.* 3. Cassiodorus; *Anima* (inquit) *est substantia spiritualis, à DEO creata, sui Corporis vivificatrix.* 4. Seneca: *Anima* (inquit) *est Spiritus intellectualis, ad beatitudinem in se, & in Corpore ordinatus.* 5. Sanctus Damascenus. *Anima* (inquit) *est spiritus intellectualis semper vivens, semper in motu, bonæ malæq; voluntatis capax.* 6. Auctor de Spiritu & Anima. *Anima* (inquit) *est omnium similitudo.* 7. Alii. *Anima* (inquiunt) *est substantia spiritualis, simplex, & indissolubilis, in Corpore passibilis, atq; mutabilis.* His enumeraris septem Definitionibus, addo insuper à Theologis & Philosophis approbatas Definitiones istas. 1. *Anima rationalis est Actus substantialis Vitalis Corporis Organici, principiativus ratiotinationum.* 2. *Anima hominis est Spiritus purus rationalis, indivisibilis & immortalis, conditus ad imaginem & similitudinem DEI, ex natura sua ordinatus ad informandum Corpus humanum.*

Multifariæ definitiones Animæ humanæ.

94. *Obji-*

94. *Obiicit 2dò idem Lucretius lib. 3. de rerum natura.* Anima separata à Corpore nullam potest exercere operationem; Nam in operando, dependet absolutè semper à sensibus; jam autem separata, nullos habet sensus; Ergò perit mortuo Corpore. *Respondetur.* Negando Animam essentialiter dependere in operando à sensibus & phantasmatibus, potest enim separata, excellentiori modô operari, & independenter ab omni sensu Corporeo, per species sibi inditas à DEO; vel etiam per illas, quas in hac Vita acquisivit. Imò negari posset, quòd Anima etiam tunc, quando est unita Corpori, non possit independenter à Corpore, exercere aliquas operationes intelligendi & volendi; quin defacto id fieri solet. Tum in Exstasibus, quæ naturaliter quandoque contingunt. Vide supra in Quæstione XI. sub numero 76. Tum quando Anima reflectit se supra suos actus intellectûs & voluntatis.

95. *Objicitur 3tiò ab eodem Lucretio.* Nullus moriendo sensit Animam incolumem & viventem exire. Ergo exstinguitur cum Corpore. *Respondetur.* Negando Consequentiam. Utìque nec ipse Lucretius sensit Animam exstingui, & tamen dicit eam exstingui? nec mirum, eam non sentiri, dum recedit à Corpore; siquidem est purè spiritualis substantia. *Accedit* Quod multa à nobis exeant etiam Corporalia, & quandoque tamen exire ea non sentimus, veluti sudoris particellas exhalationesq; subtilissimas Corporum. Vide etiam dicta infra in Notato 2do. numerô 97.

Quidnam olim sentiebatur de Origine Animæ humanæ?

96. *NOTA imò.* Diversæ olim fuêre sententiæ de Origine Animæ rationalis. *Prima* fuit Gnosticorum, Manichæorum, Priscilianistarum, Animas esse particellas Divinæ Essentiæ. Sed hoc est evidenter erroneum; siquidem Divina Essentia est immutabilis, inviolabilis, simplicissima. *Secunda Sententia* fuit Platonis & Origenis, Animas humanas omnes insimul creatas, unà cum Angelis, ac deinde fastidiô affectas bonorum illorum Spiritualium, quibus in cælo fruebantur, amare cæpisse res terrenas, &

nas, & ideo à DEO in corpora tanquam in carceres detrudi. *Tertia Sententia est*, Tertulliani, & quorundam aliorum, qui dixerunt Animam Filii fieri ab Anima Patris; sicut ex Corpore Patris est corpus Filii. *Quarta fuit.* Avicennæ, Seleucii & Hermiæ, Animas factas esse ab Angelis. Verùm omnes has quatuor sententias, meritò rejecit Sancta Ecclesia Catholica & Sancti Patres. Unde S. Leo primus, Papa, in Epistola ad Turbium cap. 10. ait. *Catholica Fides constanter prædicat atq; veraciter, quòd Animæ hominum, priùs quàm suis inspirarentur Corporibus, non fuêre; nec ab ullo incorporentur, nisi ab Opifice DEO, qui istarum est Creator.* S. Hieronymus explicans illud Ecclesiastæ 12. versu 7. *Revertatur pulvis in terram suam, unde erat, & spiritus redeat ad DEUM, qui dedit illum,* dicit *Ridendi sunt, qui putant Animas cum corporibus seri, & non à DEO sed à corporum Parentibus) generari. Cùm enim caro revertatur in terram, & spiritus redeat ad DEUM, qui dedit illum, manifestùm est DEUM, Patrem Animarum esse, non homines.* Unde etiam DEUS vocatur *Pater spirituum.* Item apud Zachariam Prophetam cap. 12. legitur. *Dominus qui expandit Cælùm & fundat Terram & format spiritum hominis in eo.* Vide hac de re fusè Cardinalem Bellarminum, Tomo 3tio. lib. 4to. Cap. XI. & nostros Conimbricenses in lib. 2do de Anima, Quæstione 3tia.

Quidnam nunc jam certum est hac in re?

97. *NOTA 2do.* Dantur multa, quæ nullo sensu externo immediatè ut sunt in se percipiuntur (ut etiam in libro meo, cui titulus est *Eversio Atheismi* deduxi) Quis enim aliquo sensu externo immediatè unquam percepit visionem etiam suam propriam? Quis Spiritus Vitales aut Animales in suo vel alieno Corpore vivente? licèt sint materiales, utpotè ab exhalatione sanguinis benignioris & àëris inspiratu, geniti, ad universas Corporis functiones obeundas necessarii. Quis actus memorativos, intellectiones, volitiones, Angelicas substantias? &c. Majora dico: Nullum Compositum substantiale, etiam materiale, ullo sensu externo immediatè percipimus unquam. Unde Aristoteles 2.

Quænam cadunt immediatè sub sensus externos?

de Anima dicit: *Nulla ſubſtantia per ſe ſenſibilis eſt.* Sub ſenſus enim externos immediatè non cadit materia prima, nec ulla forma ſubſtantialis, ex quibus unitis conſtituitur compoſitum ſubſtantiale; ut certum apud Philoſophos Claſſicos: Nonniſi Accidentia ſola, & quidem, non omnia, tantummodò certa aliqua, ſenſibûs externîs immediatè percipiuntur: ſcilicet, ſenſu viſûs percipitur ſolùm immediatè lux, color, & probabiliter etiam ubicatio, ſeu præſentia rei. Auditu percipitur ſolùm ſonus immediatè, & ejus præcipua ſpecies, vox. Odoratu, odor; guſtu, ſapor; Tactu, qualitates primæ, ut calor, frigus, humiditas, ſiccitas; & quædam etiam ſecundæ, ut durities, mollities, impetus, gravitas, levitas.

QUÆSTIO XIV.

Quænam ab aliis Epicureis vel Atheis opponi ſolent adverſus Immortalitatem Animæ?

Objectio primaria Epicureorum proponitur & convellitur.

98 OBjici ſolet 1. Nullus eſt reverſus ab inferis. Ergo apparet Animas exſtingui. *Hoc Argumentum eſt Achilles Epicureorum*, illoque uſi ſunt etiam Inſenſati illi apud Salomonem in Lib: Sapientiæ Cap. 2dó. Nam cùm apud ſe, Animam poſt mortem non vivere ſtatuiſſent, nullum tam atrocis, & ab omnibus retro ſæculis inauditæ opinionis Argumentum adferunt, niſi hoc: *Non eſt, qui agnitus ſit reverſus ab inferis.* Ita nempè ratiocinabantur fortè illi. Homines vivi, quid de mortuis judicant? multa eos lateat, quæ planè ſub oculis eorum aguntur; qua autem viâ aſſecuti ſunt, quæ nuſquam comparent? Dicunt, ſupereſſe adhuc vitam poſt funera; & Animam, Corpus tanquam veſtem relinquere, quâ exutâ liberior & expeditior per vaſta terrarum, marium, aut cælorum ſpatia vagetur. Quis hæc

credat,

credat, nisi oculis aut sensu aliquo percipiat? ex tot mortuis, integra jam Animarum agmina aliquando nobis occurrerent, ut passim occurrunt fodientibus terram, acervi ossium? quamvis maximam illorum partem tempus & putredo jam consumpserint. Quod si verò in aliquem Mundi angulum ita Animæ compinguntur, ut nullum ad vivos remeandi aditum reperiant; Cur tam subitò omnis industria eas destituit? videmus hic, reos, oculatissimas vigilias & ferrea claustra perrumpere, quin etiam ex catenis ac pedicis evadere; solæ autem Animæ abjecto Corporeo pondere, adeo vecordes sint, ut è suo (si quo tenentur) Carcere evolare non possint, & custodes suos fallere? an omnem humanitatis sensum cum vita amiserunt? & omnem cum sanguine aut amicitiâ junctis communionem, æternùm ejurârunt? Uxor tam olim amans mariti, eum tam subitò è cordè & ex memoria erasit? illius absentiam vix uno momento tolerare potuit; nunc autem annos integros sejungi patitur? Cur vel una saltim vice dolentem non alloquitur? Cur fluentes etiam nunc non consolatur lachrymas? Cur de suo statu non edocet? aut saltim, cur id per nuntium (si soli non licet) hæc omnia non exequitur? Quod vias scribendi, & arcana nostra clam communicandi habemus, dum vivimus; & post mortem, nullus Tabellarius suppetit, qui literas perferat de immortalitate vitâ functorum significaturas? Hæc fortè illi Insensati cogitabant, & alii Epicurei. Sed ut ait S. Scriptura ibidem lib: Sapientiæ cap: 2do, *Dixerunt Impii cogitantes apud se non rectè.* Miti hac Censura, eorum impietatem perstringit Rex Salomon (qui juxta communissimum sensum sanctorum Patrum est Author illius Libri Sapientiæ) cùm sine dubio acriorem meruissent. Ostendit tamen, eos à rectitudine longissimè exerrare, quòd de Vita altera quærant à mortuis testimonium, eô non contenti, quod Auctor Vitæ dedit: Cui enim rectiùs credendum: an mortuo apparenti, an DEO revelanti? Quamquam ego persuadere mihi non possum. Te, fidem daturum mortuo, qui illam abnegas DEO. Hoc est testimonium

DEI, quod majus eſt (inquit S. Joannes in ſua Epiſtola 1. Cap: 5to.) ſi ergo Te non convincit teſtimonium majus, non credo daturum te manus teſtimonio minori. Et ob hanc cauſam, cùm Dives ille Epulo ſepultus in inferno multîs precibûs ab Abraham contenderet, ut ad ſuperſtites Fratres, Lazarum mittere vellet, eis teſtaturum, nè & ipſi venirent in locum tormentorum, (ut habetur Lucæ Cap: 16.) reſpondit Abraham: ſe nolle hoc iter Lazaro fruſtra imponere: Nam *ſi Moyſen & Prophetas* (inquit) *non audiunt, neq; ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent:* Perinde ac ſi diceret: ſi contemnunt Auctoritatem Prophetarum, quæ major eſt; nihili pendent auctoritatem mortuorum, quæ minor eſt. Dum ergo mortuos è tumbis evocant, curioſitati ſuæ ſatisfacere intendunt, non fidei, nec veritatem quærunt, ſed rumorem, quem in Circulis narrent, non quò Fideles evadant. Porrò Scripturæ Sacræ & Prophetarum Oracula Divina ſufficienter adduxi pro immortalitate Animæ ſupra in Quæſtione IV. à numero 21 Imò, ut apertè hujus incredulitatis convincantur Epicurei, adduxi abundè etiam hæc, quæ tantopere deſiderant mortuorum pro im̃ortalitate Animæ ſuffragia. Vide ſupra ſub Quæſtione XI. à numero 53.

99. Unum, quod Hiſtoriis tanta certitudine fultis objicere Epicurei poſſint, hoc, me judice, reſtat: quòd cum aliis, mortui fuerint converſati non cùm illis. Nullius enim alteriùs oculis credere volunt, præterquam ſuis; quaſi verò ii tantùm Soli, ex toto hominum genere decipi non poſſint, & eorum ipſorum judiciô, Orbis ſtare debeat. Sed tantam eorum arrogantiam juſtè punit DEUS, quòd rem fatuis eorum deſideriis non ſubſcribat, neque ullum ex altero Mundo mortuum illis ſiſtat, à quo de immortalite Animæ edoceantur. Eôdem modô Mathæi, 16. cap. Chriſtus Dominus Phariſeorum faſtum & curioſitatem retudit, poſtulantium, ut eis aliquod ſignum de cœlo oſtenderet: *Generatio* (inquit) *mala & adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei.* Sic & Herodem Regem ipſe ſilentiô repreſſit, qui (ut refert S.

Adverſio notabilis ad Objectionem Epicureorum cõvellendam.

Lucas

Lucas cap. 23.) *Sperabat signum aliquod ab eo fieri* ac proinde *interrogabat eum multis sermonibus*; verùm Salvator Mundi non tantùm ullum miraculum in conspectu adulteri illius non patravit, sed nec verbulô eum dignatus est. Sic denique postquam Cruci affixus esset, cùm hostes Ejus, se in Eum credituros sponderent, si prodigiosè ex illo patibulo salvus & sanus descenderet, eorum promissa nihili fecit neque Crucem deseruit: sufficiebant, enim cuique non malitiosè pertinaci, tam numerosa miracula, quæ toto trienniô, si non sub oculis, certè sub auribus illorum operabatur, quorum fidem & certitudinem, si voluissent, & probare & approbare possint. Sed quia eô animô prodigia ab eo exposcebant, quô dæmon in deserto jejunantem aggressus, ajebat. *Si Filius DEI es, dic ut lapides isti panes fiant;* quod utique fieri à Christo hic tentator voluit, non ut in eum crederet, aut tanquam DEUM veneraretur, sed ut alios ex orco petitos fines consequeretur; ideo sicut dæmonem Christus exesse jussit, ita illos miraculorum flagitatores, surda aure præteriit. Hæc igitur est ratio, cur immorralitatem Animæ inficiantibus Epicureis nullus ex altero Orbe hospes adveniat eam persuasurus, nempè quia toties jam id factum luculentis testimoniis edocentur. Quibus (si Sapientes sunt) magìs credere deberent, quàm sibi; siquidem de probitate ac prudentia tot hominum eam tenentur opinionē habere, quòd illis falsa pro veris obtrudere, ac eos decipere noluerint, & quòd in investiganda visionum talium certitudine majorem diligentiam adhibuerint, quàm isti Epicurei, suìs erroribûs præoccupati adhibere possint: Quod si enim nullius alterius nisi suæ ipsorum experientiæ fidem adhibent, qua fronte vicissim id à nobis exigere possunt, ut iis credamus, si fortè ea narraverint, quæ illis accident? atque eodem jure, si mortuum videre illis contingat, licèt id mordicùs affirment, aut etiam jurent, ego tamen inficiabor, quo jure ipsi similes aliorum Visiones abnegant. Quare multi homines erant, in quorum Corporibus Christus morbum nullum sanavit, & tamen non solùm cre-

debant, sed & palàm testabantur, illū omnia benè fecisse, & surdos fecisse audire, & mutos loqui; quāvis illi ipsi, qui hæc dicebant, nec surdi unquam, nec muti fuerint, adeoque Christi miracula, propriâ experientiâ non usurpârunt. Satìs illis erat, quòd bona fide acceperint prodigiosas hasce curationes, aliis evenisse; ita & nobis sufficit, quòd probatæ fidei hominibus, mortui quandoque apparuerint, licèt nunquam eos ipsi viderimus. Et ita, quòd moriente Christo (ut habetur Mathæi 27.) Apertis monumentis, *multa Corpora Sanctorum, qui dormierunt, surrexerint, & exeuntes de monumentis post resurrectionem Ejus venerint in sanctam Civitatem, & apparuerint multis.* Liquidò apparet, non omnibus se videndos præbuisse; Fortè enim hic idem Evangelista, qui hæc scripsit, hanc Visionem non habuit; & tamen & ipse credidit, & id credendum toti Orbi Christiano proposuit. Ita quippè disponit Divina Providentia, ut ejusmodi apparitiones non omnibus promiscuè fiant. Certè enim secundùm humanam prudentiam, expediebat, ut hi redivivi è tumulis sancti, Principibus Sacerdotum, Annæ & Caiphæ, tum etiam Pilato ac Herodi, se sisterent, & Christum ab iis Crucifixum, verum esse Messiam edocerent: nempè hac ratione illi convinci poterant, & ad agnitionem fidei adduci: Quin hoc ipsum efficaciùs adhuc perfecisset ipse Salvator, si gloriosum suum Corpus, ita illis palpandum objecisset, utì illud palpârunt Apostoli, de Ejus Resurrectione dubii; id tamen facere per Sapientiæ suæ æternæ Rationes noluit, sed veritatem beatioris vitæ suæ ac resuscitati Corporis, manifestam reddidit *non omni populo.* (ut ait S. Petrus Acto: Cap: 10) *Sed Testibus præordinatis à DEO.* Causam autem cur taliter fecerit, ipse novit, qui ita facere voluit. Experientiâ nihilominùs constat, hujusmodi apparitiones mortuorum, si communiter absquè discrimine fierent, magìs fidei nostræ obfuturas, quàm ei commodum aliquod allaturas. Nam ex iis pronissimus est in errores ac illusiones lapsus, ut constat inter alia ex Ecclesiastica illa historia, quæ refert Tertullianum, illud Africanæ Ecclesiæ Lumen,

Item Adversio notabilis de Apparitionibus.

erro-

erroneè docuiſſe Animas humanas Corporeas eſſe,& ex traduce gigni, hoc autem craſſiſſimum dogma accepiſſe ex falſis Revelationibus Priſcæ & Maximillæ, quæ Montano Hæretico adhæſerant, & Animas à ſe viſas, corporibûs conſtare aſſeruerunt.

Objectiones aliæ Epicureorum ſolvuntur.

100. *Objicitur 2dò.* Anima horret ſeparatioem ſui à Corpore. Ergò apparet quòd nō poſſit ſubſiſtere ſine Corpore. *Reſpondetur.* Tranſito Antecedente, negatur Conſequentia: horror enim ille provenit, vel ob incertitudinem venturorum ſuper ſe poſt ſeparationem ſui à Corpore (quare horror iſte confirmat potiùs immortalitatem Animæ) vel ob avulſionem à bonis temporalibus ſenſibilibus, quibus nimiùm quis adhærebat; ordinariè verò, qui bona tranſitoria non nimiùm amârunt, habueruntquè teſtimonium conſcientiæ rectæ, mori optârunt. Hinc S. Paulus deſiderabat *diſſolvi & eſſe cum Chriſto.* ad Philip: 1. Alii acceptô mortis nuntiô (inter quos etiam Joannes Berchmans S. J.) exultabundi recitârunt Hymnum. *Te DEUM laudamus.* Non unus item jam in agone poſitus, jucundiſſima hilaritate dixit cum Beato Stanislao Koſtka S. J. *Paratum Cor meum DEUS, paratum Cor meum.* Vel illa Verba Pſalmi 121. *Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, in Domum Domini ibimus.*

101. *Objçitur 3tiò.* Anima rationalis eſt corporea. Ergo non eſt ſubſtantia ſpiritualis. Proinde corruit Argumentum immortalitatem Animæ probandi etiam ex eo deſumptum, quòd ſit ſubſtantia ſpiritualis. Vide ſupra in Quæſtione VII. ſub num: 42. Antecedens probatur. Quia Anima humano corpori unita ſuſtentatur Cibîs corporalibûs: ut etiam dicit Tertullianus lib. de Anima. Cap. 6to. ſi enim hîs careat, violentè diſſolvitur. *Confirmatur imò Animam eſſe corpoream.* Quia nempè eſt diviſibilis in partes; extenditur enim corpori diviſibili: Neq; eſt perceptibile, quomodo totum corpus informet, ſi ipſa non eſt quanta & diviſibilis. Si autem admittatur eſſe diviſibilis in partes; ſequitur, quòd non ſit indepedens à materia. Proinde eo

ipſo

ipſo eſt corporea. *Confirmatur 2dò.* Quia Anima rationalis dependet in fieri à corpore; nunquam enim producitur, niſi corpus priùs pro ea ſit diſpoſitum. Ergo non eſt indepedens à materia, adeoque corporea.

Reſpondetur ad Objectionem. Negando Antecedens cum ſua probatione. Tertullianus licèt cenſuerit Animam eſſe immortalem, tamen erravit, quòd eam aſſeruerit eſſe corpoream. Dicoque cum S. Auguſtino lib. 10. de Geneſi, ad literam cap. 24. Animam humanam ſuſtentari in corpore cibîs corporeîs, non per nutritionem ſuimet ipſius, aut per aggenerationem ſuæ partialis ſubſtantiæ; ſed per nutritionem corporis, & per informationem novæ accreſcentis materiæ, quæ nutritiva informatio eſt conditio requiſita ad conſervationem totius hominis, non autem ad conſervationem ſolius Animæ. Porro, requirit neceſſariò alimenta, aliàs enim calor naturalis abſumeret certum temperamentum Organorum, requiſitum ad functiones Animæ, ſicque operari non poſſet in illo corpore, quare illud deſereret. Nam eſſe formæ, eſt propter operari.

Anima Humana eſt indiviſibilis.

102. *Ad Confirmationem reſpondetur.* Negando Antecedens. Anima enim eſt indiviſibilis in partes non minùs quàm Angelus. Et Ratio eſt. quia ſi poſſet dividi in partes, tunc abſciſsô brachiô homini, pars etiam Animæ reſecaretur, & ſi illa corrumperetur, Anima per partes corrumpi poſſet. Si verò maneret illa pars vivens; ubi haberet locum? In hominis certè ſcelerati brachio mereretur pænas inferni; qui homo poſtea converſus, cum reliquis partibus Beatitudinem mereretur. Ac proinde partim eſſet infelix, partim beatus. Porro Anima hnmana coëxtenditur Corpori per præſentiam ſubſtantialem ſuam in ſingulis partibus; non autem per quantitativam partium diſtributionem; Quod ipſum illuſtrari ſolet exemplîs hîs. *imò* Centrum cujuscunque circuli extenditur Virtualiter toti Peripheriæ ſui circuli; quotquot enim lineæ à peripheria, centrum versùs ducantur, etiamſi ſint infinitæ ſyncathegorematicè, omnes in centro terminari,

nari, in eoque quodammodo absorberi possunt. Ergo centrum hac ratione æquivalet latitudini peripheriæ. Ergo similiter Anima indivisibilis, æquivalere potest substantialiter dimensioni corporis sui. *2dò illustratur.* Vox aliqua à declamante prolata, unica in se est & tamen præsens, ac tota resonat in singulis audientibus, etsi essent supra aliquot millia. Ergo similiter Anima humana indivisibilis, per virtutem suæ substantiæ adesse potest singulis membris corporeis, à se & inter se distantibus. Hæc Illustratio præcipuè valet in sententiâ Eorum, qui auditionem censent fieri absque impressâ specie.

Ad Confirmationem 2dam respondetur. Anima humana dependet in fieri à corpore tanquam à conditione. Conceditur. Tanquam à sui causâ, Negatur.

103. *Objicitur 4tò.* Si Anima, exuta Corpore maneret immortalis, vel perpetuò maneret separata à corpore; & sic esset in statu violento, & naturæ contrario; siquidem Forma corporis postulat esse in corpore; Vel aliquando restitueretur suô corpori; & hinc sequeretur, Resurrectionem corporum à mortuis esse naturalem, seu ordini naturæ debitum. Quod quis concedat?

Respondetur imò. Cùm mors sit separatio Animæ à corpore; sicut mors est homini naturalis, nec semper violenta, ita & separatio Animæ à corpore, & existentia illius extra Corpus, non erit illi violenta. Imò naturaliter impossibile est Animæ, ut non separetur à Corpore, & ut extra illud, non maneat, quando deficiunt in corpore, requisitæ dispositiones ad permanentiam Animæ in corpore & ad ulteriùs vivendum; vel cùm partes corporis discontinuantur; ut dum caput præciditur: vel cor evellitur, aut transfigitur; tunc enim Animæ separari à corpore & manere extra illud, est naturale, Nec status violentus similiter incineratô jam corpore. *Respondetur 2dò.* Animam utpote incompletam substantiam, restituendam esse suo corpori in resurrectione Mortuorum, adeoq; non fore perpetuò separatam à corpore; Resurrectio tamen hæc non erit naturalis, quia per cau-

ſas naturales eſſe nequit: ſed ſola Voluntate & Omnipotentiâ Divinâ, quæ mortificat & vivificat, utpote Domina vitæ & necis; Unde S. Ambroſius Lib: 4tô in Lucam ait; *Reſurrectionem mortuis imperare, ſolius eſt Divinæ Poteſtatis.* Porrò naturalis appetitus formæ ad materiam eſſe poteſt, etſi modus illum appetitum implendi non ſit ordinarius, & naturalis; ſicut famelico ineſt naturalis appetitus ad cibum, etſi cibus non poſſit aliquando haberi viâ ordinariâ & facili.

Ad ſolvendas alias Objectiones & meliorem dictorum Intelligentiam, Eruditionisq́ gratiâ.

104. NOTA *imò.* Falſa eſt hæc Propoſitio. *Quod cæpit eſſe, aliquando deſinet.* Nam materia prima cæpit eſſe; & tamen non poteſt corrumpi ab Agente naturali, nec effici, ut non ſit in rerum natura. Item Corpora Cæleſtia, & Angeli cæperunt eſſe, & tamen ſunt incorruptibilia naturaliter.

Chriſtus Dominus loquitur parabolicè de Epulone.

105. *NOTA 2dò.* Cum Sanctis Patribus, & Interpretibus Sacræ Scripturæ, Chriſtum Dominum Lucæ Cap: 16. locutum eſſe parabolicè de Epulone, quaſi corpus, linguam, oculos, & alia membra haberet, cùm tamen ſola Anima Epulonis paſſa fuerit in inferno. Voluit enim (ut ait Doctiſſimus Cornelius à Lapide) Chriſtus Dominus, integra ſupplicia & præmia hominum, quæ poſt diem Judicii extremi habituri ſunt, ob oculos ponere; præſertim, quia Animæ ſupplicia non ita cognoſcimus, niſi per ſupplicia Corporis. Epulo ille fuit Judæus, vixit tempore Chriſti Domini, nomen illi Nincuſis: Vel ut alii volunt, Nyncenſis: Teſte Euthymio ex traditione Hæbreorum: ejus domum adhuc videri Hieroſolymis, teſtatur Franciſcus Quareſmius Ordinis Minorum Theologus, & olim Terræ Sanctæ Comiſſarius, in ſuo lib: 4to Elucidationis Terræ Sanctæ, Cap: 13.

106. *NOTA 3tiò.* Certum ex fide eſt, Animas tot eſſe, quot homines. Et Ratio eſt. Quia aliàs Anima, ſiquidem eſt

in

in homine principium liberum, adeoquè capax meriti & demeriti, sequeretur, quòd peccante *v.g.* Judâ, ejusquè Animâ damnatâ ad inferos, omnes illi homines quibus Anima illa communis fuit, deberent damnari. Certum etiam inter omnes classicos Philosophos Orthodoxos. Animas humanas esse ejusdem speciei. Ratio est. Tum quia omnes homines descendunt ab Adamo, per Naturalem generationem: hæc autem est Origo viventis à vivente conjuncto in similitudinem Naturæ. Tum quia ex communi Philosophorum sensu: Ubi constanter reperiuntur ejusdem rationis¡proprietates, ibi indicium est, Principia esse ejusdem rationis; ex diversis enim proprietatibus, cognoscimus diversitatem specificam principiorum. Sed in hominibus sunt proprietates ejusdem rationis: In omnibus enim videmus eadem ferè organa operationum, & eodem modo disposita: ita ut caput emineat brachiis, &c. Item omnes sentiant, vivant, & ratiocinentur. *Neq; refert.* Quòd aliqui homines, aliis sint ingeniosiores, agiliores, fortiores. Hoc enim non fit ex eo, quasi verò constent Animabus, seu Principiis essentialiter aliorum notabiliter diversorum accidentium exigitivis; sed quia organa quibusdam sunt magis vel minùs apta, ad eliciendas operationes Animæ; aut certè ex aliqua circumstantia alterata; quod evidenter patet. Nam in uno eodemquè homine solet quandoquè esse hæc variatio; Ita, ut ille qui fuit puer ingeniosus, agilis, prudentulus; is postea vir vel senex factus, sit stolidus, iners. In ipso etiam corporis habitu homo plerumquè sibi ipsi dissimilis; senex juveni; ut passim quos juvenes noveramus, postea maturos, ægrè aut planè non dignoscamus; & tamen certum est, quòd in uno eodemquè homine, non sint plures sibi succedentes Animæ specie diversæ. Docent tamen sat multi Philosophi cum Sapientissimo Patre Lessio, absolutè loquendo, non implicare plures Animas rationales specie diversas, ab his quæ defactò dantur.

Animæ humanæ sunt ejusdem speciei.

107. *NOTA 4tò. Si quæratur. Quandonam Anima rationalis creatur, & corpori infunditur? Respondent* apud Eruditissimum

Anima rationalis quando infunditur Corpori?

Cornelium à Lapide, in Levitici Cap: 12 Isych: & Cyrill. lib. 15. de Adoratione; & P. Maldonatus in Lucæ cap. 2dum. Marem formari & perfectè organizari in utero Matris 40. diebus, ideoquè 40. die animari; mox enim ut fætus perfectè est formatus, animatur, utì docent Medici; fæmellam verò formari, & organizari per dies 80, idquè ob debilitatem caloris, & virtutis seminalis. Verùm huic sententiæ repugnant sat multi Medici. Nam Lævinus Lemnius lib: de occultis naturæ miraculis cap: 11. docet, Maris formationem absolvi aliquando die trigesimâ, aliquando die 35 vel 40, aut 45. Femellæ verò nunc 35, nunc 40, vel 45, aut 50. Hypocrates verò lib: de Natura fætus, num: 10, docet; Masculum ut longissimè 30 diebus formari; fæmellam ut longissimè 42 diebus: idquè probat ex purgatione, quæ post masculi partum durat 30, post fæmellæ 42 diebus ut longissimè: Thomas Fienus Lovaniensis Medicinæ Professor in suo libello hac de re edito, probat, Animam rationalem 3tio die post conceptum infundi. Movetur maximè hâc ratione. Quia nisi collocetur statim Anima rationalis in illa materia, nulla erit causa, quæ formet fætum inducendo organizationes corpori humano debitas. Non enim hæc functio attribui debet ipsi DEO; ut nonnulli senserunt; alioqui nulla contingerent Monstra, quia in DEUM nullus defectus virtutis cadere potest. Non Angelis etiam potest tribui, quia ut ait S. Thomas 1mâ Parte Quæstione 96. Art. 2dô. Substantiæ abstractæ non inducunt ullas formas in materiã. Undenam etiam esset illa similitudo prolis cum Parentibus? Nulla item (quæ enim) est necessitas formæ vegetativæ & sensitivæ ante Animam rationalem. Mihi autem hac de re nihil determinandum nunc est, ne impingam in multas difficultates circa administrationem Sacramentorum pro talibus fætibus nondum perfectam organizationem habentibus.

Quid est Ens spirituale? 108. *NOTA 5tò.* Cùm Anima sit substantia spiritualis: si quæratur. Quid sit universaliter *Ens Immateriale*, *seu spirituale?* Respondet P. Arriaga. *Est id, quod est penetrabile naturaliter cum*

alio.

alio. P. Hurtadus, & Soarez Junior asserunt. *Ens spirituale consistere in indivisibilitate integrali.* Alii cum P. Quiroz: *Ens spirituale definiunt per independentiam à sensibili.* P. Perez cum Recentioribus pluribus dicit: *Ens immateriale, seu spirituale esse id, quod est separabile ex natura rei à subjecto quanto.* P. Joannes de Ulloa in sua Logica Majore Disputatione 4tâ Cap: 3tiô. dicit. Corpus videtur sic definiendum. *Ens proximè ratione sui formaliter impenetrabile: vel adeò intrinsecè connexum cum illo, tanquam cum termino intrinseco unionis immediatè vel mediatè, ut sine miraculo non possit separatum esse ab illo.* Spiritus è contra est *Ens quod neq; formaliter ratione sui est impenetrabile, neq; ita connectitur cum alio, tanquam cum termino intrinseco unionis, ut nequeat separari ab illo sine miraculo.*

QUÆSTIO XV.

Quàm grave sit peccatum, absolutè negare Animæ immortalitatem? Item. An, qui vel de ea dubitat, est Hæreticus?

109. A*Ntequam respondeam.* *Præmitto.* Hæc vox Hæresis, (ut docet Tertullianus, S. Hieronymus & alii) ex Græco ab Electione dicitur. Et olim sumebatur pro Electione tam veræ, quàm falsæ doctrinæ; nunc tamen ex communi usu Ecclesiæ accipitur solùm, pro Electione Doctrinæ falsæ in materia Fidei & à plerisque Theologis cum Magno Suarez altero suæ ætatis (juxta communem sensum Academiarum Hispaniæ) Augustino, definitur sic: Hæresis formalis. *Est voluntarius, & pertinax error in materia Fidei Catholicæ contraria in homine, qui se Christianum esse profitetur.* Gregorius de Valentia, qui

Quid est Hæresis? & Hæreticus?

qui à Clemente VIII. Doctor Doctorum est appellatus, dicit cũ quibusdam. *Hæresis est error Fidei Catholicæ contrarius, cui is pertinaci Animo inhæret, qui est Fidem in Baptismo professus.* Eruditissimus Alphonsus de Castro lib. 1. adversus Hæreses, cap. 1mô. definit Hæresim sic: *Est Dogma falsum, Fidei Orthodoxæ repugnans.* per *Dogma falsum*, intelligit omnem enuntiationem falsam, sivè illam quis dogmatizet, sivè illam secum tacitus affirmet. Doctissimus Franciscus de Oviedo ait. *Hæresis est judicium plenè liberum, immediatè oppositum veritati, quam quis noscit ab Ecclesia propositam esse, ut in se revelatam à DEO, elicitum ab eo qui Baptismum suscepit.*

Ex datis definitionibus, primam præ aliis magìs approbo in qua nulla fit mentio Baptismi, idque ex eò: quia Mennonistæ etiam priùsquam baptizentur sunt Hæretici, nec non & Quackeri, licèt hi posteriores ordinariè nunquam solent baptizari. 3tia definitio videtur convenire errori de pluralitate DEOrum, cùm tamen error iste, non sit propriè Hæresis, nec Idololatræ sunt propriè Hæretici, sed Ethnici. Nec enim Judæi & Turcæ sunt Hæretici propriè, sed infideles, & qvidem Turcæ ponuntur inter gentiles, etsi, & illi habeant dogmata falsa Fidei Orthodoxæ repugnantia.

Ex his dictis habetur. Quid sit Hæreticus formalis? Scilicet, qui se Christianum professus, habet errorem Fidei Catholicæ contrarium, illique pertinaciter inhæret. Materialis autem Hæreticus est, qui se Christianum professus, habet quidem errorem Fidei Catholicæ contrarium, sed ei non pertinaciter inhæret, paratus illum rejicere, cùm fuerit ab Ecclesia monitus aut edoctus. Hôc præmissô.

110. *Respondetur imò ad imam partem Quæstionis.* Cùm secundùm fidem Catholicam certissimum sit Animã esse immortalem, ut constat ex Quæstione tota IV. aliisque Quæstionibus. Certumque item est veritatem hanc esse totius Christianæ Religionis fundamentum: ut patet ex dictis sub Quæstione X. Ideo

si quis

si quis profiteatur se esse Christianum, asserat verò Animam esse mortalem, eo ipso incidit in Hæresim, & quidem, ut inquit Leo X. Approbante Concilio Lateranensi, in *Hæresim damnatissimam* & *perniciosissimum errorem*. Vide Bullam supra sub Quæstione IV. num: 24.

Porro, universaliter Hæresis formalis cum suo fœtu, est peccatum adeò grave, ut alia omnia, fidelium Christianorum peccata cum illo uno collata, sint festuca cum trabe comparata; ut è sensu communi Orthodoxorum, dicit in Censura sua de adoranda Trinitate Cardinalis Stanislaus Hosius, Episcopus Warmiensis, olim Concilii Tridentini Præses. Continet enim formalis Hæresis summam superbiam; Nam facit, ut homo judicium suum præferat judicio omnium Patrum, omnium Ecclesiæ Doctorum, nec non Conciliorum. Continet item multas graves blasphemias & maledicta in Mysteria Fidei. Nec non Hæresi inest summum odium in Sponsam Christi, quam censet esse adulteram sathanæ. Et quidem adeò grave peccatum est negare immortalitatem Animæ, ut exceptô Atheismô, nullum censeam esse gravius peccatum. *Hæresis est peccatum gravissimum.*

III. *Respondeo 2dò universaliter. Christianus affirmativè deliberatè dubitans de aliqua veritate Fidei Catholicæ, est Hæreticus* Et sic Hæreticus est, qui judicat, certum non esse an detur Purgatorium. Vel dubitat. An licita sit Invocatio Sanctorum &c. Unde Sixtus & Stephanus Summi Pontifices cap. de Hæret: asserunt. Dubium in fide, infidelem esse: Et Mellifluus Doctor, S. Bernardus lib. 5tô ad Eugenium de Considerat. cap. 2dô ait: *Fides ambiguum non habet, & si habet, Fides non est.* Hugo item Victorinus lib. 1mô de Sacramen. part. 10. cap. 2dô. *Ubi* (inquit) *dubitatio est, fides non est.* Quibus præivit S. Augustinus lib. de Trinitate cap: 5tô. Negans in fidem, *fortè*, cadere. Et Ratio est. Tum quia omnis in fide dubitans, vel circa aliquem articulum Fidei fluctuans, errat. Omnis autem qui errat in fide, & Christianum se profitetur, Hæreticus est. Tum quia *An dubitans de aliqua veritate Fidei v. g. de immortalite Animæ, est Hæreticus?*

ut

ut aliquid, fides verè ac propriè appelletur, certitudinem exigit, & firmitatem, in eo, qui eam tenet. Aliàs ſi deſit certitudo, aut firmitas, & ſcrupulus aliquis adſit, eo ipſo non fides, ſed opinio, aut dubitatio erit.

Hinc infertur. Chriſtianum, qui dubitat de immortalitate Animæ, eſſe Hæreticum pernicioſiſſimum, & peccare eo ipſo graviſſimè. Rectè pronuntiavit P. Thomas Comptonus celebris Theologus, ac Philoſophus Diſput: 10. in libros Ariſtotelis de Ortu & interitu ſect: 1mâ. *De veritate immortalitatis Animæ, nullus ſine Atheiſmi nota, vel leviter dubitare poteſt.*

QUÆSTIO XVI.

Quàm impii & inſipientes fuerint, Epicurus, Sardanapalus, Averroes, Sadducæi: & ſub nomine Chriſtiano longè pejores Gentilibus, Cardanus, Machiavellus &c. Negantes immortalitatem Animæ?

IN Quæſtione 8va veritatem de immortalitate Animæ probavi etiam ex Qualitate Perſonarum eam negantium; Videamus ergo in hac Quæſtione, quàm impii & inſipientes fuerint, qui aſſeruerunt, ſimul Animam cum corpore interire.

Quanta inſipientia & impietas Epicuri?

112. *Epicurus* Athenienſis, natus eſt brevì poſt obitum Platonis, ante Salvatoris Noſtri adventum circiter annîs trecentîs. De eo rectiſſimè ſcripſit Lactantius Lib: 3tiô Inſtitut: Cap: 17. *Epicurus homo, quo ſanô & vigente, nullus æger ineptiùs deliravit.* Nam ut ait S. Auguſtinus de illo, Tomô 8vô in Pſalmum 73 *Fuit delirus Philoſophus; vel potiùs amator vanitatis, non ſapientiæ; quem ipſi etiam Philoſophi, porcum nominaverunt volutatum in cæno*

carnali,

carnali, quia voluptatem corporis, summum bonum dixit. Dixit insipientissimè etiam, non dari Divinam Providentiam, Animasquè rationales, unà cum corporibus interire. Nam inter alia ejus axiomata, teste Làërtio fuêre & hæc. *1mò. Quòd beatum est & immortale, id neq; ipsum negotii quidquam habet, neque alteri exhibet. 2. Mors nihil ad nos pertinet, quod enim dissolutum est, id sensûs est expers: quod verò sensûs est expers, nihil ad nos pertinet. 3. Felicitas sita est in voluptate, hæc enim est initium & finis benè vivendi, vitæq; beatæ. 4. Mundi sunt Innumerabiles, iiq; ex atomis, casu mero inter se còëuntibus, còäluere. 5. Atomi sunt principium rerum omnium, suntq; infinitæ.* Idem Epicurus in suo libro qui Canon inscribitur, docebat: *Normam omnis judicii, non rationem esse, sed sensum:* Quare nec solem, nec Lunam majorem esse, quàm videretur. Itaquè ut Cleomedes Meteorol: lib: 1mô ait. *Etiam majorem esse solem manè, quàm meridie, fatebatur, quia sic videtur sensui.* Imò, quod magis ridiculum: Manè Solem accendi; Vesperi, Oceani aquis exstingui opinatus est. Negabat etiam Propositionum Contradictoriarum alterutram, esse veram. Unde Cicero lib: 1mô de Natura Deorum inquit, *Totum hoc, aut etiam, aut non, negavit Epicurus esse necessarium, quô quid dici potest obtusiûs?* Timocrates apud Laërtium lib: 10. in Vita Epicuri asserit: Epicurum, bis quotidie præ crapula vomere solitum, ideoquè corpore miserabiliter afflictum, sic, ut per multos annos è lecto surgere non posset. Obiit annô ætatis suæ 72.

En, tam abominandè impius, & enormiter Insipiens Dux primarius negantium Immortalitatem Animæ!

Lucianus & Lucretius, Epicuri Sectatores fuêre, insuper manifestè insipientissimi Athei

113. *Sardanapalus.* Fuit ultimus Rex Assyriorum, scelestissimus, totus ventri & veneri deditus, quem, Arbaces, Medis præpositus, inquit Justinus lib: 1mo, *invenit inter scortorum Greges, Purpuram colo nentem, & muliebri habitu, cùm mollitie corporis, & oculorum lasciviâ, omnes Fæminas anteiret, pensa inter vir-* *Sardanapalus effæminatus, & stolidus.*

gines partientem, quibus visis, indignatus tali fœminæ tantum virorum subjectum, ad socios refert, quid viderit; negat se ei parere posse, qui se fœminam malit esse, quàm virum. Fit igitur Conjuratio: Bellum Sardanapalo infertur: quô ille auditô, non ut Vir, Regnum defensurus, sed ut metu mortis, mulieres solent, primò latebras circumspicit, mox deinde cum paucis, & incompositis, in bellum progreditur; Victus, in Regiam se recipit, & exstructâ pyrâ, se & divitias, in Incendium mittit, hôc solô imitatus virum. Proprium ejus nomen Assyriacum erat *Tonosconcoleros.* Sed à Græcis, & aliis sapientibus viris dictus, *Sardanapalus.* Id est Morio, seu stolidus, & insanus. Moriens ipse sibi hoc Epitaphium condidit:

Ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas.

Vel ut Cicero 3tiô lib: Tuscul: *Quomodo* (inquit) *jucunda vita possit esse, à qua absit prudentia, absit moderatio? Ex quo Sardanapali opulentissimi Syriæ Regis error agnoscitur, qui incidi jussit in busto.*

Hæc habeo quæ edi, quæq; exsaturata libido
Hausit, at illa jacent multa præclara relicta.

Quid aliud (inquit Aristophanes) *in bovis, non in Regis sepulchro inscriberes? Hæc habere se mortuum dicit, quæ ne vivus quidem diutiùs habebat, quàm fruebatur.*

Averroes impius.

114. *Averrores*, Medicus, cognomento Commentator Philosophus, apud Cordubam Hispaniæ Urbem, fuit Machometanus: Vivebat circa annum Christi 1150: ab Atheismo vix uno passu distabat. DEO enim infinitatem Naturæ aufert, & Providentiam, rerumquè quæ infra lunam sunt, scientiam; aufert item DEO, & nobis libertatem. Hinc omnem peccandi impunitatem aliis suasit, sibi persuasit. Vide etiam sub Quæstione XIX. numerô 133.

Sadducæorũ gravissimi errores.

115. *Sadducæi* exorti in Judæa, centum ferè annîs ante Christi adventum: Auctor illorum fuit quidam, Sadoc: habebantur à Judæis pro Hæreticis, & meritò; nam ut ait S. Lucas Actorum Cap: 23. versu 18. *Sadducæi dicunt non esse resurrectionem, neq; Angelum, neq; spiritum.* Negârunt item Providentiam Divinam,

&Ani-

& Animarum Immortalitatem. Nequè quidpiam credebant, quod non sensu, aut ratione manifestâ comprehenderent: nullas item admittebant non scriptas Traditiones; & ex Sacris ipsis Libris, quos volebant, approbabant, quos volebant, rejiciebant. Itaquè solos quinque libros Moysis tanquam à DEO dictatos, recipiebant; Cæteros homines fuisse, errarequè potuisse. Et quia prædicante Christo vigebant Sadducæi, negantes inter alia, ullum dari spiritum. Ideo vivente Christo in terris, frequentior trium annorum spatiô de Energumenis fit mentio, quàm in toto veteri Testamento, per tot sæcula. Erant insignes Hypocritæ, seditiosi, intollerabili mentis arrogantiâ depravati: eos sequebantur ex Primatibus multi, ut potè liberiori, & licentiori vitæ dediti. Et inter illos etiam Herodes: Errorem, suum de Animarum Immortalitate infundabant in perperam intellectîs verbîs illis Genes: 37. versu 17. *Dicebat Ruben, ne interficiatis Animam ejus* id est Josephi. Indequè erroneè inferebant, Animam esse mortalem, eamq; posse interfici & mori. Sed verba illa rectè sic explicanda sunt: Non interficiatis vitam, cujus causa est Anima. Estquè Metonymia. De Sadducæis habet multa Josephus Lib: 1. Antiquitatum Cap: 9. & lib: 2. Belli. Cap: 7. habent & Interpretes Scripturæ. Fit eorum mentio Mathæi 3. versu 7. Marc: 12. vers: 8. Actor; 5. v. 17.

116. *Cardanus*, sub nomine Christiano, saltem Clancularius Atheus. Asseruit ille impiè in suis libris; Legem Judaicam à Saturno esse; Christianam à Jove, & Mercurio; Machometanam à sole & Marte, ex æquo dominantibus. Christum ipsum Dominum subjecit fato, & quòd tali astrorum positurâ editus esset, oportuisse Eum in Cruce mori. Mundum æternum esse affirmavit, & hominem primum ex putri natum, sicut mures aut ranæ: Energumenos nullos dari, sed ab atra bile cieri. Infernum & Dæmones (lib: suô 19. de subtilitate) fabulis annumeravit. Gratiam datam Regibus Galliæ ad curandum strumarum morbum, referebat ad usum longum aromatum; adeò fuit stolidus

Cardani quanta impietas & errata!

lidus, ut cùm prædixiſſet ſe certo tempore moriturum, ne deprehenderetur mendax Propheta, ſeipſum inediâ necavit. Homo nullius fidei, impuriſſimus, & inter clancularios Atheos, ævô ſuô facilè Princeps.

Machiavelli impii execrãda Principia.

117. *Nicolaus Machiavellus*, projectæ in Religionem Chriſtianam & ſancta omnia, audaciæ; fuit priùs Florentinæ Reipublicæ (necdum enim Medicæi Principes, Florentiam ſuæ poteſtati ſubjecerant) ſecretarius, ob factiones dein in quæſtione tortus, poſtea ſemper inops & miſer, blaſphemans evomuit reprobam Animam, acceptô temerè pharmacô, quô ſe adversùs morbos præmunire voluerat. Execranda ejus principia; quæ etiam magna ex parte in ejus libris Diſcurſuum, ac de Principe, continentur fuêre hæc: *Religionem extrinſecus colito, ſed nullam habeto. Virtutes habeto in ore; Nihili tamen faciendæ, ne Religio quidem, cùm lucri faciendi occaſio, ditionisve augendæ datur: De æternitate non ſis ſolicitus. Fatô reguntur & aguntur omnia. Cùm neceſſitas tulerit aliqua, intrepidè peccandum eſt. Principes probare debent falſa miracula in Populo, ad populum, quo res feret excitandum; & in finem eundem, Revelationes falſæ, tanquam à DEO derivatæ, confingendæ ſunt, & ſpargendæ in Vulgus. Datæ fidei habenda eſt ratio, quamdiu commodum eſt: Moyſis leges, & victoriæ inſignes, humanæ ejus Prudentiæ, fortitudini, & armis, non DEO Auctori, & Duci attribuendæ ſunt. Anima humana, eâdem cum Anima bruti mortalitate cadit, &c.* Hinc meritò Machiavellus, à Viris doctiſſimis non tantùm appellatur Dæmonis adminiſter: Pſeudopoliticorum Patriarcha: Vitiorum, & ſcelerum Doctor; ſed planè Atheus, ejusquè ſectatores Pſeudopolitici, Atheiſtæ. Libros ejus, ſub Anathemate, Eccleſia legere vetuit, utpote continentes planè Diabolicam Doctrinam.

Jam ad ultimam Quæſiti partem, contentam in Quæſtione XVI. Reſpondendum eſt. Scilicet, Multine fuerunt alii, & ſunt, præter Cardanum & Machiavellum, in Regnis & Provinciis Chriſtianis, qui cenſuerunt & cenſent, hominem etiam quò ad Animam ſimul cum corpore exſtingui?

118.

118. *Respondeo igitur.* Indubitatum est, ab omnibus Atheis censeri Animam hominis, sicut Animam bruti interire. Ætate sua S. Augustinus Episcopus Hypponensis, qui florebat circa annum Domini 420, sentiebat, paucos reperiri Atheos; unde Sermone 10. de Verbis Domini ait. *Pauci inveniuntur tantæ impietatis, ut impleatur in eis, quod scriptum est. Dixit stultus in corde suo, non est DEUS. Insania ista paucorum est: sicut enim magna pietas, paucorum est, ita & magna impietas nihilominus paucorum est.* Verùm, si sanctissimus hic & Doctissimus Præsul vixisset hîs præsertim duobûs postremîs sæculîs, retrò actîs, quibûs Hæreses plurimùm exundârunt, & legisset quæ à Viris eruditis hac de re scribuntur, nec falsitatis in eo convinci queunt, scripsisset: *Insania ista non paucorum est.* Etenim Angliam & Scotiam non tam circumfusô Oceanô, quàm infusô per Calvinismum Atheismô, fluctuantem describit Andreas Philopater Anglus: & Vigistus Anglus Calvinista, conqueritur, Angliam Atheistis refertam. Ipsi Scotiæ Ministri, scriptô palam testati sunt, in Præfatione Bibliorum, innumeros in Regno Atheos esse cæpisse. Marius Mersennius, Comment: in Cap: 1mum Gen: Uberrimîs lacrymîs deplorat Galliæ Patriæ suæ statum, quòd multa millia Atheorum reperta fuerint. Germaniam, Italiam, Poloniam, Sueciam, Cardinalis Hosius, Lindanus Episcopus, Sturmius, Durerus, & alii, referunt Atheis infectam. Julius Cæsar Vaninus, Tolosæ, Annô 1619. ad flammas damnatus, dum quæstionibus hic infamis Atheus subjiceretur, fassus est, alios Neapolî 13 emissos, qui Atheismum per omnem Europam spargerent, sibi autem Lutetiam obtigisse. En novos Inferni Apostolos. Morinus in Præfatione suæ Astrologiæ Gallicæ ait. *In Aulis Regum, Principum, præcipuè nunc insolescit effrænata Atheorum Secta.* Julius Scaliger Lib: 3tiô. Ideæ Cap: 6. dicit: *Plerique Militum sunt Athei.* Joannes Casus, Medicinæ Doctor, in Prologomenis in Physicæ Aristotelis libros. *Horrendum* (inquit) *est dictu quidem, & tamen dicendum; multi sunt hodie incredibiliter stulti, qui audeant dicere:*

In Anglia multi Athei.

Nec non in aliis quibusdam Regnis Europæ.

non eſſe DEUM. Si non vidiſſem; ſi non audiſſem hæc monſtra (Hacketum blaſphemum illum Atheum, alioſq;) certè tam multus, vehemens, & copioſus in hac cauſa non fuiſſem.

119. Joannes Wilhelmus Peterſen, heterodoxus, Sacræ Scripturæ (ut ipſe ſe nominat) Doctor. In Concione ſua Germanica impreſſà Annô 1714. Magdeburgi, (quam habeo) tria notabilia refert. 1. Annô eodem 1714. 15. Januarii in Cathedra Primarii Templi Magdeburgenſis clancularie repoſitum fuiſſe libellum manu ſcriptum, philarum 14. in quo quiſpiam impius, conabatur per longum probare, DEUM non eſſe. Animam humanam eſſe mortalem, Moyſen fuiſſe Magum; Prophetas, & Apoſtolos, ſeductores. 2. Ante Annos non adeò multos in Hollandia ad certum locum conveniſſe inſimul plures Atheos eô fine ut conquirerent contra DEI exiſtentiam Argumenta nova, utpote, quibus antiqua minùs placerent, quia non convictiva. 3. In eadem Concione prædictus Peterſen refert, certum eſſe, quendam præcipuum ſtatûs Miniſtrum Regis Sveciæ, non pridem conveniſſe cum duobus ſuis Filiis, Theologum, illique eos comendaſſe, poſtulando, ut eos apud ſe haberet, ac in Religione Chriſtiana inſtrueret. Plurimùm enim ſe in conſcientia torqueri, quòd poſitus in ea opinione, ſecundùm quam crederet nullum DEUM eſſe, omni ſpe ſalutis ſuæ æternæ deſtituatur, quam tamen ſpem ut habeant Filii, ex naturali erga eorum bonum inclinatione, ſe potiùs optare, & ſic in illa ſpe dulci ut moriantur, quàm ut ſuæ adhæreant opinioni, & defectu ſpei crucientur prout ipſemet torquetur. Hucuſque deſumpta ſunt ex illa Concione.

Notatu digniſſimum.

120. Placet ad finem hujus Quæſtionis apponere horrendum nimìs, & abominandum Calvini mendacium: is librô 4tô Inſtitutionum capite 7mo § 27. habet hæc. *Ad homines autem ſi veniamus, ſatis ſcitur, quales reperturi ſimus Chriſti Vicarios; Julius ſcilicet, & Leo, & Clemens, & Paulus, Chriſtianæ Fidei Columnæ erant, primique Religionis interpretes, qui nihil aliud de Chriſto tenuerunt, niſi quod didicerant in Schola Luciani.*

Calvini impudens mendacium.

ni. Sed quid tres, aut quatuor Pontifices numero? quasi verò dubium sit, qualem Religionis speciem professi sint jam pridem Pontifices, cum toto Cardinalium Collegio, & hodie profiteantur. Primum enim arcanæ illius Theologiæ, quæ inter eos regnat, caput est. Nullum esse DEUM. Alterum quæcunque de Christo scripta sunt ac docentur, mendacia esse, & imposturas. Tertium. Doctrinam de futura vita & ultima Resurrectione, meras esse fabulas. Jam pridem hæc ordinaria esse cæpit Pontificum Religio, hocque notissimum est omnibus, qui Romam noverunt. Et in Commentario suo super Acta Apostolorum capite 17. dicit. *Pro mero ludibrio à Papa, & Papistis omnibus ducitur, dum Scriptura Sacra, in medium adducitur.* O mendaciorum portentum! omnesque pudentiæ fines, longissimè transcedens calumnia. Audi saltim Calvine, quidnam ipse Lutherus (quem Opusculô Theolog: pag 1147. Restauratorem Religionis Christianæ vocas) ad Leonem Papam, quem Tu adeò enormiter calumniaris, scripserit adhuc anno 1520. 6tâ Aprilis: Exstat hæc Epistola Tomo 2do Lutheri Epist: 166: *Celebratior & Augustior est in omni terrarum Orbe tot tantorumq; virorum literîs cantata opinio, & vitæ Tuæ inculpata fama: quàm ut à quovis, vel maximi nominis, possit, quâvis arte impeti. Non sum tam stultus, ut eũ incessam, quem nemo non laudat.* Quàm ergo, judiciô ipsius Lutheri, stultissimus Calvinus, qui ausus est, adeò calumniosè incessere eum, quem nemo non laudat, & tot alios!

QUÆSTIO XVII.

Quænam præcipuè peccata disponunt proximè, ad hanc impietatem, ut quis credere possit, Animam suam interire simul cum corpore?

121. RESpondeo unò. *Luxuria effrenis est dispositio proxima, ad hanc impietatem. Ratio est.* Quia *in homine Carnali* ut *Libido ad Epicureismum est Gradus proximus.*

(ut Sanctus Augustinus sapienter annotavit Sermone 147) *tota Regula intelligendi, est consvetudo cernendi: Quod solent videre, credunt: quod non solent, non credunt.* Et Divus Gregorius Magnus lib. 4tô Dialogi cap. 1. ait. *Carnales quique, quia illa invisibilia,* (nempe esse Cœlestem Patriam, Angelos, Spiritualitatem, & immortalitatem Animæ &c.) *Scire non valent per experientiam, dubitant* (imò & negant aliqui) *utrumne sit, quod corporalibus oculis non vident.*

Accedit Imò. Quòd Libido effrenis, lumen rectæ rationis, saltim magna ex parte exstinguit, hominemque ita excæcat, ut ineptus reddatur ad contemplationem rerum spiritualium. Sicut enim ex igne fumus egreditur, oculos excæcans, Ita ex ardenti libidine exeunt fæditates, rationem excæcantes.

122. *Accedit 2dò.* Quia Angelicus Doctor S. Thomas 2. 2. Quæst: 153. Art. 5. ponit suam Conclusionem hanc. *Cæcitas mentis, Inconsideratio, Præcipitatio, Inconstantia, Amor sui, Odium DEI Affectus præsentis sæculi, & horror futuri, Filiæ luxuriæ, rectè dicuntur.* Idque ipsum præter Auctoritatem S. Gregorii Magni lib. 31. Moralium cap. 131. Easdem octo Filias Luxuriæ, recensentis, probat ratione, quam ibi, si placet, lege. Aristoteles item 7. Ethic: dicit. *Venus furatur Intellectum Sapientis.* Et lib. 2dô Rhet. cap. 24. Venerem, amentiæ præfectam appellat. Unde etiam Venus dicta est à Ve, quæ est particula privativa, significans absque & nus, id est ex Græco, mens; quasi absque mente, id est amens. Porro obcæcationem mentis, inconsiderationem, depravationem intellectûs, sublationem rectæ rationis, odium DEI; præsertim hæc simul sumpta, esse saltim dispositiones proximas, ad negandam immortalitatem Animæ; Imò & ad ipsum Atheismum quis audiat diffiteri?

Accedit 3tiò. Quia juxta Sanctos Patres, effrenata libido, est Gradus ad Atheismum, (ut deduxi etiam in libro meo cui titulus *Gradus ad Atheismum,* ex quo libro aliqua huc transtuli) Hinc S. Bernardus, Mellifluus Doctor in Tractatu de 12 Gradibus humilitatis,

litatis, & ſuperbiæ, propè finem ait: *Poſtquam terribili DEI judiciô, prima flagitia, impunitas ſequitur; Voluptas experta libenter repetitur, repetita blanditur, concupiſcentiâ reviviſcente, ſopitur ratio, ligat conſuetudo; trahitur miſer in profundum malorum, traditur captivus, Tyrannidi vitiorum: ut carnalium ita voragine deſideriorum abſorptus, ſuæ rationis, Diviniq; timoris oblitus, dicat inſipiens in corde ſuo: non eſt DEUS.* S. Gregorius Nyſſenus Epiſcopus, Divi Baſilii Frater, lib: de Virginitate Cap: 4. dicit: *Libido facit homines quaſi porcos; quorum oculi in cænum demerſi, cælum & cæleſtia aſpicere nequeunt.* Nec ſpiritualia entia.

123. Reſponſionem Noſtram principalem approbare videtur S. Paulus Apoſtolus ad Romanos Cap: 8vo. verſu 13. *Si* (inquit) *ſecundùm carnem vixeritis, moriemini.* An non moriuntur homines etiam ſancti, etiam continentes, & qui ſpiritu (ut ibidem ſcriptura ait) facta carnis mortificant? aut ſi de morte ſecunda, id eſt, damnatione æterna, id intelligitur; nunquid ſola luxuria in Infernum præcipitat? nunquid & alia vitia, ut ſacrilegia, cædes, rapinæ, veneficia, fraudes, & quidquid illud eſt, quod lege DEI graviter prohibetur, non iiſdem ſuppliciis deputatur? eſt igitur aliqua mors ſingularis, quæ veſtigat viventes ſecundùm carnem, & hæc eſt Mors putatitia Animæ, quam quia Libidinibus ita ſubdiderunt, ut nullum in corpus videatur habere Imperium, ideò illam corpore præſtantiorem, non autumant, adeoque materialem, & corruptibilem credunt. Mutaverunt videlicet gloriam ſuam, in ſimilitudinem vituli comedentis fænum: hoc eſt: ſicut ille Iſràëliticus inſaniens in deſerto populus, & in ludos, ac luxuriam effuſus, aliam DEI ſui Idæam, formare non potuit, niſi ſimulacrum Vituli; ita homines iſti, belluinîs affectibûs præoccupati, cùm jam nihil de ſpiritu imaginari poſſint, etiam Animam ſuam, carnem, & mortalem effinxerunt. *Animalis* enim *homo* (ut idem S. Paulus 1mâ ad Corinthios 2. ait) *non percipit ea, quæ ſunt ſpiritûs.*

124. *Addo.* Quæri ſolet ab Interpretibus Sacræ Scripturæ: Cur Rex Salomon, Eccleſiaſtæ Cap: 12. inculcat juveni, in voluptates ac libidines prono, Animæ Immortalitatem, ac Judicium, ob eas coram DEO ſubeundum. *Memento* (inquit) *Creatoris Tui in diebus Juventutis, antequam revertatur pulvis in terram ſuam, unde erat, & ſpiritus redeat ad DEUM, qui dedit illum.* Et Reſpondet, inſignis Interpres Cornelius à Lapide, quam reſponſionem approbant pleriquè alii Hæc enim (inquit) duo, acre frænum voluptati, ac libidini injiciunt: Unde videmus eos, qui voluptati & Luxuriæ totos ſe dedunt, ut id liberè, ſine metu vindictæ faciant, ſenſim, fieri Atheos, ac negare Animæ immortalitatem, Judicium, Cælum, Gehennam, imò & omne Numen. Hucuſquè à Lapide.

Nec non ſuperbia.

125. *Reſpondeo 2dò. Superbia ingens, præſertim quâ quis ita nimiùm ſuæ ſcientiæ tribuit, ùt privatum ſuum Judicium, Doctiſſimorum quorumq; ſenſui leviſſima de Cauſa obſtinatè præponat, cenſeatq; nihil eſſe, quod intellectu ſuo perfectè comprehendere nequeat, Talis inquam ſuperbia, diſponit ad illam etiam impietatem.*

Ratio eſt. Tum quia Eccleſiaſt: 18. dicitur. *Initium omnis peccati eſt, ſuperbia. Initium ſuperbiæ hominis, Apoſtatare à DEO.* Divus Chryſoſthomus Homilia 15. in Joannem, & in Pſalm: 115. legit. *Initium ſuperbiæ eſt, neſcire DEUM.* Et addit: *ſuperbi DEUM non cognoſcunt, neq; ſeipſos quid ſint? ſciunt.* Tum quia ejuſmodi elati, ſunt ad quodlibet opinandum, nimiùm audaces, leviſſimoque ex fundamento, tenaciter adhærent opinionibus talibus, quæ è diametro opponuntur principiis omnium ferè Doctorum conſenſu approbatis: quas novitates ſuas, propriæque deliramenta phantaſiæ, dum cernunt ſolidè oppugnari, ne tamen ab iis recedant, neceſſitas conſequentiæ impellit eoſdem, ad plura inconvenientia concedenda; aſſuetus verò inconvenientiis admittendis, quidni labatur tandem in illam impietatem?

126. *Confirmatur Reſponſio.* S. Gregorius Magnus Librô 11. Moralis Expoſitionis in duodecimum Caput Job. Cap: 8vo, &

S. Da-

S. Damascenus, Lib. 2dô de Fide, Cap: 29. docent: quòd DEUS eos, qui intumescunt ex benefactis suis, permittat prolabi in abominandam Luxuriam. Ergo pariter censendum est, superbos, tumoris, ac vitiorum suorum pondere pressos, permittente DEO tandem labi in profundam illam impietatis voraginem.

QUÆSTIO XVIII.

Doctrina Cartesii, ejusq; Asseclarum, multùmne conducit, ut accedatur ad impium errorem de Animæ mortalitate?

127 P*Ræmitto* Renatus des Cartes, aliàs Cartesius, natus Hagæ Turonum Annô 1596. Religione ut seipsum ubiquè profitetur, Catholicus; à vita militari, nullis artibus, nisi Mathematicis eruditus, mediocris Judicii, in Dialectica parum, In Theologia minùs versatus: novitatis studiosior quàm veritatis: intentus potiùs, ut magnam famam, quàm ut bonam haberet: plurimi seipse faciebat; Magnam præseferebat modestiæ speciem, sed tunc præcipuè erumpebant innatæ superbiæ igniculi, si quando nobiles aliquos nactus erat Adversarios: non satis item constanter sua vel proferebat vel probabat. Hæc de Cartesio sentiunt Viri limatissimi Judicii, inter alios Petrus Huetius, Episcopus Svessionensis in sua Censura Philosophiæ Cartesianæ. P. Thomas Camptonus in sua Physica Disputat: 12. P. Joannes de Benedictis in sua Philosophia, &c. Hôc præmisso,

Cartesius quis nam fuerit?

Respondeo ad Quæstionem, affirmativè.

Probatur Responsio. Quia Cartesius docet, aliundè non posse naturali ratione evinci Animæ humanæ immortalitatem nisi ex eo; quòd bruta omnia, nullum sensum, nullamque omnino cogni-

Ejus doctrina disponit ad denegandam immortalitatem Animæ.

cognitionem habeant, sed sint mera automata; Anima verò humana sola sit cognoscitiva: siquidem omnis Anima cognoscitiva est spiritualis, & immortalis. Porro Ratio allata, & fundamentum probandi Animam esse immortalem nullius momenti est; imò & graviter erroneum, ut patet. Tum ex communissima persvasione omnium hominum, quotquot unquam fuerunt, & sunt, (si Cartesianos excipias) pro sensu & cognitione brutorum. Tum quia gemitus brutorum, dum verberantur aut naturaliter patiuntur, clarè insonat, doloris sensum iis inesse. Fugit item canis conspectô à longè contra se baculô, cibô allicitur, voce plausu incitatur ad varias actiones. Quis machinam aliquam sensu destitutam, *v. g.* horologium, dirigit exhibitione cibi, voce, plausu? Tum quia si non sentiunt bruta, ad quid iis insunt Organa sensuum, oculi, aures, nares, cerebrum, æquè ac in hominibus disposita? Tum quia (utor verbis sancti Augustini librô 1mô de Musica. *Puto te negare non posse, bestias habere memoriam; nam, & nidos post annum revisunt hirundines; & de Capellis, verissimè dictum est: atq; ipsæ memores redeunt in tecta capellæ. Et canis, Dominum jam suis hominibus oblitum, recognovisse, prædicatur; & innumerabilia, si velimus, advertere possumus, quibus id, quod dico, manifestum est.*

128. *Confirmatur imò Responsio Nostra.* Quia Cartesius, inde unicè probat, censetquè probandam, Animam humanam esse realiter distinctam à corpore, & immaterialem, quòd, alia rei cogitantis sit idæa, alia corporis. Unde infert, Animam, rem cogitantem, non esse corpus: hancq; probationem Cartesii pedissequi, demostrationē esse volunt. Verùm ab innumeris solidè doctis Philosophis, ac Theologis, meritò reprobatur. Ad probandā enim rerum distinctionem realem, non valet distinctio rationum, & Idæarum: aliàs Animal in homine, distingueretur realiter à rationali; & Attributa Divina inter se realiter. Cùm ergo fundamentū, cui soli, juxta Cartesium, innititur Probatio immortalitatis Animæ, ejusq; im̄aterialitatis, nullatenùs subsistat: Hinc infertur, per Cartesii do-

tesii doctrinam, aperiri, & sterni viam, ad negandam Animæ spiritualitatem., & immortalitatem.

129. *Confirmatur 2dò.* Quia Philosophiæ totius Cattesianæ fundamentum, in dubitatione consistit; Cartesius enim in suis Meditationibus de prima Philosophia, jubet nos dubitare de rebus in omnibus, dicitquè non esse omnino certum, an Mundus iste aspectabilis, revera existat? ut exstare videtur; An sit Terra, Cælum? an aliqua res extensa? aliqua figura, magnitudo, locus? Docet item, non esse omnino certa illa Principia. *Totum est majus suâ parte. Quæ uni alicui sunt æqualia, illa inter se sunt æqualia*, & similia lumine ipso Naturæ, nota Principia. Ergo quidni ex talibus præmissis, rectè inferatur, nec esse omnino certum; an existat aliqua Anima rationalis spiritualis, immortalis, posseque imò debere dubitari de ejus existentia?

QUÆSTIO XIX.

Ad nonnulla quæsita dantur Responsiones, quæ conducunt ad confirmandam & illustrandam Veritatem, de immortalitate Animæ.

130 QUæritur imò. *Quidnam de Immortalitate Animæ sensit Aristoteles? Respondeo.* Si non omnino certum, saltim est probabilissimum, assertam esse ab Aristotele Immortalitatem Animæ humanæ. *Ratio est.* Quia ex una parte, nullus hucusque allatus est textus Aristotelis, quô asseruerit mortalitatem Animæ: sed solùm per consequentias quasdam extortas, & fallaces (ut notat Cardinalis Toletus) id à quibusdam, nobis oppositis, colligitur. Ex altera autem parte, sunt multa satis & clara ejus testimonia, pro Immortalitate. Nam Lib: 2dô

Aristoteles sensit Animã humanam esse immortalẽ.

de Anima textû 22. dicit: *Intellectus, contemplativaq; potentia, videtur Animæ genus esse diversum* (à sensitivo, & vegetativo) *idq; solum perinde atq; perpetuum ab eo, quod occidit, sejungi, separariq; potest.* Et Librô 3tiô de Anima. Textu 20. ait. *Intellectus separatus verò, idque solum quod est, atque id solum est immortale, perpetuumq;.* Librô Etiam 1mô Ethicorum Cap. 11. dicit: Quod istud quod accidit in Mundo, parum mortuos tangat. *Quia vitâ defunctos, neq; felices eos, qui non sunt facere: neq; eos qui sunt, privare felicitate potest. Conferre igitur quid defunctis, prosperi Amicorum successus videntur. Simili modô etiam infortunia: ita tamen ac tantùm, ut neq; felices, reddere infelices, neq; quidpiam tale efficere valeant.* Sunt ergo ex sensu Aristotelis Animæ post mortem. Item 12. Metaphysicorum textu 26. dicit: *Mens, & Anima intellectualis, non potest esse ante corpus: tamen manere post, nihil prohibet: veluti si Anima tale sit, non omnis, sed intellectus, seu intellectiva.* Non absimilia testimonia habentur Librô 2dô Animalium Cap: 3tio. & Lib: de partibus Animalium Cap. 1mo.

131. *Confirmatur Responsio Nostra.* Auctoritate gravissimorum Virorum, in Libris Aristotelicis versatissimorum, affirmantium, ab Aristotele assertam fuisse Immortalitatem Animæ. Sunt autem inter alios hi. *1mò.* Omnes Antiqui Interpretes Aristotelis ac Peripatetici (unô Alexandrô Aphrodisæô exceptô) scilicet, Theophrastus, primarius per plurimos annos Discipulus Aristotelis, ab eoque in Lycæo designatus successor, cujus scholam ad duo millia discipulorum frequentârunt. Themistius, Philoponus, Simplicius, Ammonius uterquè, Alpharabius, Algazel, Olimpiodorus, Cicero, Avicenna &c. *2dò.* Sunt Boëtius, Albertus Magnus, & Major Magistrô suô Discipulus, S. Thomas: Ægidius, Durandus, Ferrariensis, Suares, Communissimèquè alii Doctores Catholici Scholastici. Et Urbanus VIII. jussit Bononiæ per Oregium, & alios plures Doctores, inquiri in Aristotelem: Verùm omnium calculô, de immortalitate Animæ benè sensisse, declaratus est. Themistius etiam testatur, Aristotelem suam

ſententiam affirmativam de Immortalitate Animæ diſertè expreſſiſſe in Dialogo, quem ſcripſit ad Eudemum familiarem ſuum, ibique multis rationibus oſtendiſſe Animæ Immortalitatem. Cujus Dialogi mentionem facit Cicero Divinationum in Lib: 1mo & Plutarchus in vita Dionis. Ille tamen liber cum multis aliis interiit. Certè Laërtius & Plutarchus teſtantur, ab Ariſtotele conſcriptos fuiſſe Libros, multiplici, profundâque ſcientiâ & eruditione refertos, propè quadringentos: Alii numerant ad ſeptingentos quadraginta ſeptem; & tamen ex tanto numero, qui nunc ſuperſunt, non excedunt ſummam centum viginti.

132. *Adverte.* Theologi graves (ut Carthuſianus, Ambroſius Catharinus, Archiepiſcopus Compſæ, P. Theophilus Raynandus & alii) prudenter annotârunt, non eſſe Fidei Chriſtianæ commodum, levi de cauſa, præſertim in hac Quæſtione, & de Providentia, inſimulare erroris Ariſtotelem, & pro Epicureorum Caſtris ſtantem, inducere Principem Philoſophorum, quem Plato, *Veritatis Philoſophum*; Plinius Lib: 8vô Hiſtor: Cap: 16. & Lib: 18. Cap: 38. appellat: *Immenſæ ſubtilitatis, & ſummum in omni Doctrina Virum.* Quin & ſancti Patres, ut Hieronymus Tomô 9nô in Regula Monachorum, Cap: 2do. Et Auguſtinus Lib: 8vô de Civit: Cap: 11. eximiis condecorârunt Elogiis. *Adverſio notabilis.*

Plura de Sententia Ariſtotelis circa Immortalitatem Animæ, necnon de ejus præclaris geſtis, dictis, & morte illius, dedi in Libro meo impreſſo Pragæ Anno 1713, cui Libro Titulus eſt *Defenſio Ariſtotelis, & Philoſophicæ Peripateticæ, per Enervationem quinquaginta Lutheri Propoſitionum oppoſitarum Ariſtoteli, & ſuæ Philoſophiæ.*

133. *Quæritur 2dò. Quidnam Averroes ſenſit de Anima humana? Reſpondeo.* Averroes impius ex Chriſtiano Judæus, ex Judæo Machometanus, ſenſit in homine eſſe duas Animas mortales: ſcilicet, ſenſitivam & vegetativam: Animam verò Rationalem, non eſſe Formam corporis, ſed ſolummodô illi aſſiſtere; ſententiam hanc ſecutus quidam Petrus Joannis. Sed eam An- *Averrois judicium erroneum de Anima.*

nô 1311.

nô 1311. damnavit Concilium Viennense sub Clemente V. cujus Concilii definitio ponitur in lib. Epistolarum de summ: Trinit. & Fide Catholica, cap. unico sub his verbis. *Porro, Doctrinam omnem, seu Positionem, temerè asserentem, aut vertentem in dubium, quòd substantia Animæ rationalis, seu intellectivæ, verè ac per se humani corporis non sit forma, velut erroneam, ac veritati Fidei Catholicæ inimicam prædictô sacrô approbante Conciliô reprobamus-quisq; deinceps asserere, defendere seu tenere pertinaciter præsumpserit: quòd Anima rationalis seu intellectiva, non sit Forma corporis humani per se essentialiter, tanqum Hæreticus sit censendus.* Hucusque Concilium Viennense. Et meritò hæc Averrois & Petri Joannis opinio damnata est; ex ea enim sequitur, nullum esse meritum, aut demeritum in homine, cessatque virtus & peccatum. *Accedit.* Siquidem Anima rationalis solùm esset assistens spiritus. Ergo ipse non intelligit, nec vult: Actiones enim sunt suppositorum. Imò nec homo esset rationalis: sicut nec navis est rationalis ex eo, quòd illam nauta rationalis gubernet, & regat.

134. *Quæritur 3tiò. Quid sentiendum de Sententia Pomponatii, qui docebat, spectata ratione naturali, Animam esse mortalem?*

Nec non Pomponatii.

Præmiito. Pomponatius, qui vivebat circa Annum 1500. non absolutè censuit, Animam esse mortalem., sed duntaxat, si ratio nuda consideretur, ut constat ex libro Contareni Cardinalis de im̃ortalitate conscripto adversùs Pomponatium, ipsius quondam Contareni in Philosophia Magistrum. Idem cum Pomponatio voluerunt, quidam ejusdem ævi Philosophastri. Hôc præmissô.

Respondeo. Sententiam illam esse erroneam; ut constat, Tum ex Concilio Lateranensi sub Leone X. in quo damnatur, tanquam *perniciosissimùs error, asserere Animam rationalem esse mortalem, saltem secundùm Philosophiam.* id est, spectata saltim ratione naturali. Vide supra in Quæstione VI. sub numero 24. Tum quia præcisâ fide ex mera etiam ratione naturali constat in

DEO

DEO dari Providentiam, & Justitiam, esseq; DEUM Ens Optimum & Finem ultimum hominis. Ex his autem prædicatis deducitur sat clarè immortalitas Animæ: Nec non sat rectè infertur eadem immortalitas ex natura ipsius Animæ ejusque proprietatibus, & operationibus. Vide dicta sub Quæstione V. VI. VII.

135. Eruditissimus P. Theophilus Raynaudus S. J. Tomô suô 11. in Erotematibus, notat, quòd nonnulli prædictum Pomponatium reposuerint in Classem clancalariorum Atheorum; Tum ex eo, quòd scripserit de mortalitate librum meritò postea à Venetis, ignibus addictum. Dicitur tamen postea Opus illud suum mutatâ mente improbasse. Tum quia in Opere suo de incantationibus, omnes effectus mirificos, Cœlorum influxionibus inscribit adeò, ut velit & Religiones & leges earumq; latores, ab iis dependere. Hoc Opus in Indice Tridentino, proscriptum est. In Opere item suo de Fato multus est in evertenda còóperatione DEI nobiscum; qui est manifestus error. Quæ omnia suspicionem illam aliquorum de Pomponatii clanculario Atheismo aliquomodo confirmârunt. Ante mortem autem resipuisse eum & Atheismum, quo sorduerat abjecisse, scribit Vigerius in Epilogo Operis de præstigiis.

136. *Quæritur 4tò. Quænam Propositiones, sunt Gradus ad Epicureismum, seu negandam immortalitatem Animæ; vel saltim ad dubitandum de Ea? Respondeo.* Inter alias Propositiones sunt & hæ. 1. *Nihil cadit sub humanam scientiam, adeoq; de nulla re potest homo ferre judicium certum.* 2. *Nulli objecto præbendus est assensus.* 3. *Principia duo hæc: Quodlibet est vel non est;* item. *Impossibile est idem simul esse, & non esse; sunt Principia falsa.* Porro, priores duas Propositiones, Academici veteres censuerunt esse veras, ut constat ex Divi Augustini libro 3tio Contra Academicos cap. 10. *Duo sunt* (inquit) *quæ ab Academicis dicuntur; contra quæ, ut valemus venire constituimus; Nihil posse percipi. & Nulli rei debere assentiri.* Simile quid docuerunt Sceptici & Pyrrhonii. Epicurus verò, Heraclitus, & Protagoras Abderites, negârunt

Recensentur Gradus ad Epicureismû.

illa duo Principia esse vera. *Ratio datæ Responsionis nostræ est.* Quia illis admissis Propositionibus, sequitur non debere præberi assensum, quòd Anima sit immortalis: & insuper dictæ Propositiones sunt multùm cæcutientes, & Omnium evertunt fundamenta scientiarum, ipsumque communem sensum, adeoque sensum communem de Existentia DEI & immortalitate Animæ. Ob similes rationes, videtur etiam reprobanda Propositio hæc. *Principium illud: Implicat idem esse, & non esse: potest habere formidinem moralem; quia potest esse actus dubitans, ortus ex hoc motivo morali: quòd aliqui viri docti & prudentes, negent hoc dictum, esse verum Principium: Vel ex hoc motivo, quòd pleraq; deprehendimus esse falsa, quæ putabamus esse vera Principia.*

137. *Accedit.* Quia aliàs Propositione hâc ut verâ admissâ, posset etiam prudenter dubitari, utrum aliquando vera miracula patrata fuerint, & veræ Prophetiæ exstiterint, sitque aliqua vera Scriptura: Imò utrum DEUS sit, siquidem Athei, qui suô judiciô, multorumque sui Asseclarum videntur docti Viri & prudentes, negant illa omnia, sintque aliàs extra scripturam, seu in Historiis naturalibus, deprehensa multa esse falsa, quæ putabantur esse vera.

Insuper saltim proximus gradus est ad Epicureismum, error olim Gnosticorum Hæreticorum, asserentium, Brutis inesse Animam rationalem. In non absimili errore sunt multi ex Gentilibus in America, qui opinantur, præsertim simias, habere Animam rationalem, nec non peritiam loquendi humanô modô rationabiliter, sed consultò dissimulare se nescire sic loqui, ne ab Hispanis ad labores compellantur.

Præterea disponunt ad Epicureismũ Propositiones hæ. 1. *Bruta circa singularia discurrunt, discursu vero & propriè dicto.* 2. *Essentia Animæ rationalis consistit in cognitione actuali.* 3. *Materia non magis concurrit ad productionem & conservationem formarum materialium quàm ad productionem & conservationem Animæ rationalis.*

138. *NOTA.* Impressi olim Lucubrationem, cui titulus: *Gradus*

Gradus ad Atheiſmum. at que manifeſtè deduxi, *Primum genus graduum*, per quos nſVoraginem Atheiſticam deſcenditur, eſſe certas peccatorum ſpecies. *2dum.* Hæreſes. *3tium demum genus graduum*, eſſe opiniones quaſdam erroneas. *Ad imum genus Graduum referuntur hæc. 1mò.* Peccata graviora, ſi frequenter, & quaſi ex habitu comittantur. *2dò.* Effrenata libido. *3tiò* Superbia, quâ quis cenſet, nihil eſſe, quod intellectu ſuô ſtatim perfectè comprehendere nequeat. *4tò.* Machiavelliſmus. *5tò.* Gravis impatientia adverſitatum intollerans, quæ paſſim .deliberatè in illa dicta erumpat. Niſi fottè DEUS non eſſet, ſi meæ innocentiæ in hac calamitate non ſuccurreret: ſi meæ injuriæ vindicem non ageret; ſi hoſti meo ſceleratiſſimo faveret, & ſimilia. Conſvetudo item aſſerendi, dicta à ſe, tam eſſe certa & vera, quàm certum eſt exiſtere DEUM. *6tò.* Ementita prodigia & Hiſtoriæ patheticæ, Concionibus & libris etiam editis pro omnimodè veris inſertæ ac opinione communiſſimâ, pro omninò certis, ac indubitatis acceptatæ. *7mò* Univerſalis contemptus & odium in ſtatum Eccleſiaſticū. *Ad 2dum genus graduum ſpectant hæc. 1mò.* Sententia eorum, qui docent. Quemlibet honeſtè viventem in quacunque ſecta, præſertim Religionis Chriſtianæ, poſſe ſalvari. *2dò.* Calvini, & Lutheri Doctrina. Nec non Janſenii, item Mennoniſtarum, & Quackerorum. *Ad 3tium demum genus, reducuntur.* Propoſitiones hæ, ſi aſſerantur eſſe omnino veræ. 1. *Poteſt Creatura aliqua, ſeipſam, quòad imo eſſe, producere.* 2. *Poteſt Creatura aliqua, eſſe cauſa ſuæ cuaſæ in prima ſui productione in genere cauſæ efficientis.* 3. *Licitè permittitur ut quilibet credat pro ſuo placito, tranſeatq; ab una ſecta ad aliam.* 4. *Ab infidelitate excuſabitur Infidelis, non credens, ductus opinione minùs probabili.* Hi omnes in particulari enumerati gradus ad Atheiſmum, ſunt eô ipsô gradus ad Epicureiſmum. Omnis enim Atheus, eô ipsô quòd ſit Atheus, negat etiam immortalitatem Animæ.

QUÆSTIO XX.

Quænam jam tandem consideranda sunt immortalitatis Animæ Oppugnatoribus, censenturq; idonea, ut resipiscant?

139 RESpondeo, *esse consideranda Puncta hæc tria.* Ut etiam non absimilia puncta ad considerandum dedi Atheis, in fine Voluminis Mei, cui Titulus: *Eversio Atheismi.*

Punctum 1mum.

Puncta tria proponuntur ad seriò considerandum plurimùm proficua.

EX una parte certùm est, fundamenta impietatis de Mortalitate Animæ, non posse subsistere, utpotè multùm levia, & debilia: ut patet ex dictis sub Quæstione XIII. & XIV. nec non ex Notatis, sub Quæstione V. num: 25. Ipseque Pomponatius in suo Libro de Mortalitate Animæ, fatetur, nullam hucusque rationem evidentem allatam esse ab ullo, quòd pereat Anima. Ex altera parte, certùm est, imò & evidens, Animam esse immortalem: ut constat ex dictis, in Quæstionibus V. VI. VII. VIII. IX. X. XI. Licèt autem quædam ex illis Rationibus & Argumentis, non videantur excedere gradum magnæ probabilitatis; tamen longè plura sunt, quibus certò & saltim moraliter evidenter, Intellectui rectè disposito demonstratur immortalitas Animæ. Nomine *Intellectûs rectè dispositi*, intelligo hominem, rationis usum habentem, non semistultùm, non pertinacissimè obstinatum in suo errore; nec sceleribus nefandis, præsertim Luxuriæ Cæno, totaliter immersum. Libido enim effrenata, lumen rectæ rationis, saltim magna ex parte, exstingvit. Vide dicta sub Quæstione XVII.

Pun-

Punctum 2dum.

140. AST interim concedamus, quòd Sententia asserens Animæ immortalitatem, non sit omnimodè certa, nec etiam moraliter evidens: Tamen non minùs certa est illa sententia, quàm certum est tibi, te, ex legitimo thoro natum esse, ac legitimum possessorem horum vel illorum bonorum; Item quàm certum est, Te, ab his vel illis Parentibus, in lucem editum esse; Vel quàm certùm est exstitisse in rerum natura, Ciceronem, Alexandrum Magnum &c. ut patet ex dictis sub Quæstione I. II. & IV. Nec non ex Rationibus allatis pro immortalitate Animæ, in Quæstionibus citatis in Puncto 1mo. Cur ergo, si aliqua de illis prioribus suboriatur dubitatio, eam protinus elidis, imò nec admittis: Animæ verò Tuæ immortalitatem, non tantùm in dubium revocas, sed etiam negas? Penitius teipsum, oro, inspice; facilè reperies, ad tam nefandum ausum, Te impelli à vehementia carnalium prohibitarum voluptatum, aliisq; horrendis sceleribus, quibus involveris. Nec non à metu vindictæ, ob tanta scelera, à DEO summo Judice, infligendæ. Age vitam rectæ rationi consonam, & sedatô Animô evolve in hoc libro contenta, proculdubio adjuvante Divinô auxiliô, à tam impio desistes ausu.

Punctum 3tium.

141. QUid si adhuc fluctues, quid Tibi hoc in passu agendum sit, tunc in ulteriorem tecum descendam arenam. Finge, non esse ita certum, ut est, Animas nostras post mortem victuras, sed pari probabilitate, etiam contrariam opinionem niti. In hoc æquilibrio, in quam Te potiùs ac securiùs partem resolves? Certè, si sapis, immortalitati Animæ Tuæ subscribes. Quod ipsum ut evincam, statuo Principium hoc. Ex duobus incertis *v. g. A* & *B*, sibi è diametro oppositis in re gravissimi momenti, ex cujus unius incerti *v. g. A.* electione, nullum imminet, nec prudenter timeri potest periculum; nec quidquam est, quod me ab illo eligendo prudenter arceat. Ex alterius verò

incerti, *v. g. B* electione, imminet proximè ſummi mali periculum, ac irreparabilis damni incurrendi; tunc prudentiſſimè primum eligitur *v. g. A*, & nonniſi ſtolidiſſimè ſecundum, videlicet *B*. Ut patet. Imprudentiam enim grandem ſapit, conjicere ſe ſponte ſine ulla neceſſitate, & ſine ulla ſpe ullius lucri, in periculum ſummi damni irreparabilis proximè incurrendi.

142. Hujus Principii Veritas illuſtratur inſuper multifariè. Si enim intensè ſitienti Petro, ad eligendum offerantur, liquore plena duo pocula *v. g. A* & *B*. ex cujus unius poculi hauſtu *v. g. A*, Petrus ſciret, nullum eſſe periculum vitæ amittendæ: Nec quidquam haberet, quod illum arceret ab illo poculo ſumendo: Dubitaret verò & quidē non ſine fundamento gravi, an periculum mortis repentinæ non incurret ex hauſtu poculi *B*. Nonne ſummæ imprudentiæ, rectè argueretur Petrus, ſi hauriret liquorem ex poculo *B*, ex motivo *v. g.* oſtendendæ libertatis ſuæ in eligendo? Idem dic de hoſpitiis à ſe remotiùs diſſitis, in quorum uno omnino tranſigenda eſt nox viatori, dubiuſque eſſet prudenter, an periculum grave non incurret, ſi in ſecundo hoſpitio pernoctaret, cùm illud peſtilente lue infectus incolat: in primo verò diverſorio conſtaret certò, quòd nullum ſimile vitæ diſcrimen lateat: quidni juxta prudentiæ leges, eligendum ipſi foret hoſpitium omnî periculô vacuum? Item, ſi duo eſſent pontes *v.g.* A & B. conſtructi ſuper Abyſſum horrendam, per quorum unum, iter omnino agendum eſſet Viatori; nonne à prudentiæ ſemita longè aberraret viator, ſi absque ulla neceſſitate, relictô ſpretoq; ponte, per quem, tutiſſimum ſe iter offerebat, nullumq; occurrebat periculum in abyſſum illam decidendi, comitteret ſe nulla urgente causâ alteri ponti, non admodum firmo, ex quo periculum eſſet labendi in tam horrendam abyſſum? Demum, prætermiſſis aliis illuſtrationibûs; Quis dubitans prudenter, an ſit via obſeſſa immaniſſimîs Latronibûs, non arripit (maximè ſi nihil obſtet grave) aliud iter, de quo certus eſt, nullis periculîs eſſe circumſeptum. Ex his Illuſtrationibus evidenter conſtat,

eum esse imprudentissimum, emotæq; mentis hominem, qui in nostra principali materia, eligit incertum quid, obnoxium periculo vitæ æternæ amittendæ, incurrendiq; dirissimos, & nunquam terminandos, quia æternos cruciatus.

143. Quod ipsum, stabilitô isto Principiô, clariùs jam sic infero. Ergò etiam, datô non concesô, illas duas sententias, quarum una affirmat Animam esse immortalem: altera, negat, esse incertas; tamen quia sunt in re gravissimi momenti; ex cujus unius electione, nempe hujus: Anima est Immortalis: nullum incurritur periculum: Si enim id verum est, (ut defactò est certissimum) tuq; illud credere nolis, serò, post mortem, advertes errorem tuum grandem, gravissimasq; pænas æternas, pro hac infidelitate lues. Si autem Animæ sunt Mortales, nullum Tibi post fata timendum est periculum, quòd immortales esse credidisti: factô enim per mortem, Tui totius, id est tàm corporis, quàm Animæ exterminiô, neq; redargui ob id poteris, neq; puniri: imò ex hoc quòd credideris Animam immortalem, emolumentum habes; fides enim hæc, ad vitam honestam & homine dignam, & quietè etiam traducendam multùm conducet. Vide etiam dicta supra, sub Quæstione XVI. Sub numero 119. de quodam Suetico Ministro.

144. Non absimile est huic Argumento & illud Dilemma, quô feliciter, temporibus Cornelii à Lapide S. J. (ut ipse refert in suis doctissimis Commentariis in Cap: 5tum Amos. Versu 19.) Quidam Pseudopoliticus, seu veriùs, Atheus, moriens convictus, & conversus est. Vel est Numen & vindex DEUS post hanc vitam, vel non est. Si non, attamen si id credidero, non mihi nocebit, imò proderit: inducet enim me, si supervixero ad vitam honestam, & homine dignam. Si est? & ego illud non credidero, imò negavero: quas Ejus iras, quæ tormenta ab Eo, ob hanc perfidiam & blasphemiam exspectare me oportet? Potiùs ergo illud credam & confitebor, cùm illud nocere nequeat: non credere autem; gravissimos cruciatus mihi accersere possit.

Rur-

Rursum. Vel sunt præmia bonorum & supplicia malorum (ut ipsa Ratio dictat) post hanc vitam vel non sunt? si non sunt? ea tamen credere, sperare, & timere non oberit, imò proderit ad omnem virtutem. Si sunt? & ego ea non credens, turpiter & sceleratè vixero, utiq; suppliciis illis æternis mancipabor? Longè ergo satiùs & prudentiùs est, ea credere, quàm non credere;

Confirmationes Validæ Puncti tertii.

145. *Confirmantur dicta in Puncto 3tio.* Si dubium esset, suntne mortales Animæ, an immortales: expedit potiùs sentire, esse immortales, inter alia etiam plurima, ob has duas rationes. *1mò.* Quia id asserunt Viri summæ Auctoritatis, & quicunque ab Orbe condito hucusque admirabili sanctitate Vitæ, eximiâ sapientiâ, miraculorum gloriâ, donô Prophetiæ fuerunt toti Mundo admirabiles. Imò idem asseruerunt, quicunque apud ipsos Gentiles in scientiis præsertim sublimioribus fuerunt illustres: Contestantur idem etiam sanguine profusô innumeri Martyres &c. E contra asseruerunt Animam Mortalem, soli scelestissimi, impurissimi. Vel ingenti mentis elatione corrupti, vel demùm incredibili stoliditate obcæcati: ut constat ex dictis sub Quæstione XVI.

146. *2dò.* Quia Animas esse immortales ex eo expedit potiùs id sentire, quia hoc Naturæ humanæ magìs honorificum, quàm ob solum dubium, se ad sortem brutorum animantium dejicere. Statimne Reges, Thronô decedunt, dum illorum Regnandi jus, in dubium vocari cæpit? Præteritô seculô, Philippus II. Hispaniarum Rex, Coronam Regni Lusitaniæ, quam ad se devolutam credidit, eò fortiùs capiti apprimebat, quô magìs vulgabatur, Sebastianum legitimum illius Regni Hæredem, non esse à Barbaris interemptum in Africa, ut ferebatur (& certum erat) sed in vivis esse. Abjecti id Animi indicium, cùm eadem probabilitate, similem Te Angelis evincere possis, Te ad belluarum propinquitatem damnare, & proculcatâ Naturæ rationalis dignitate, tam vilem conditionem amplecti. Certè dum vivis, nulla ambitioni Tuæ subsellia sunt satis, sublimiores semper honores

nores appetis, Cur ergò poſt mortem Te belluis coæquas? Pudet Te, beſtiarum more, vitam traducere; & non pudet tali more illam finire?

147. Quæro, ſi modoprimùm de immortalitate Animæ ſtatueret DEUS, & Tibi de ea re eligendi daret poteſtatem; Mortalem Te potiùs, an Immortalem optares? non credo, Te adeò abjectæ mentis futurum, ut non ad immortalitatem, vota porrigeres. En ſtante (ut Tu dicis) dubiô, hæc fortuna in Tuis manibus eſt: hæret in ambiguo ſtatu, ſecundùm Te, hæc Quæſtio: Quia Fides Divina Te nihil movet, conſenſum omnium ſapientum, & ſanctorum deſpicis, tot rationibus, in hoc libro allatis, non convinceris: argumenta autem fortiora non profers; itaque anceps inter utrumque hæres. Sed cùm neutram partem amplecti neceſſitatem habeas, unam ex libertate elige. Quid moraris? nonnè pudet hìc deliberare? Quid optabilius, quàm Animam habere immortalem, cùm mortalem habere non cogeris? An aliquod mancipium à Barbaris captum, exſolûtis compedibûs ad libertatem, cùm poteſt, non profugit? Si æqualis probabilitas eſſet: Te aliquando moriturum, & nunquam moriturum, nonne confeſtim crederes, Te fatìs exemptum? non tantùm ſæcula, ſed & æternitatem victurum? Ita! in. ambiguitate corporis immortalitatem tàm facilè crederes; & in ſimili ſtatu, Animæ immortalitatem opinari, tàm pertinaciter tergiverſaris?

148. Quia verò negantes immortalitatem Animæ, vel de ea dubitantes, ordinariè vel ſunt Athei, vel jam in ipſo Atheiſmi ſuburbio conſiſtentes; ideo ad eorum mentes illuſtrandas Appono *Primò*. totius Vetuſtatis celebratiſſimi Mercurii Triſmegiſti Argumentum, Cap. 5to. Pimandri. contra Atheiſmum. *Cùm* (inquit, ille) *ſtatuam & imaginem, abſq; fabro & pictore fieri, nullus aſſerere audeat: Miram Mundi hujus conſtitutionem, ſine Conditore, conſtitiſſe putabimus? O cæcum homunculum! ô nimìs impium!* Plura hujus & aliorum Gentilium Philoſophorum pro Exiſtentia DEI dedi Argumenta in Volumine meo, cui titulus:

Eversio Atheismi. Librô 2dô, Tractatu 2dô. Appono *2dô* aurea verba S. Joannis Chrysostomi, Magni Ecclesiæ Doctoris, Episcopi Constantinopolitani. Cui Divus Petrus & S. Joannes, claves & librum ad scripturas intelligendas dedisse, S. verò Paulus Apostolus, scribenti ac prædicanti multa dictâsse creditur. Hic ergo Sanctus Doctor Homiliâ in Psalmum 13. impetit Atheismum taliter.

S. Chrysost: Argumenta proponuntur eversiva Atheismi & Epicureismi

Non est DEUS, & quomodo omnis lingua, DEUM nominat? falluntur ergo omnes hominum myriades, quæ DEUM esse dicunt & solus insipiens, se putat, verum dicere, qui solus ita mentitur, & qui quinq; quidem vel septem testimonia, vult in testamentis evertere, per consensum reprobatur, & rejicitur, quando judicat Veritas; Publicam autem totius Orbis, & Universam Mundi lingvam, solus vult insipiens evertere. Dixit insipiens in Corde suo, non est DEUS. Non est fundamentum, & quomodo stat ædificium? Non est carina, & quomodo consistit navigium? Non est Fabricator navis, & quô nam modô navis comparata est? Non est ædificator, & quomodo domus facta est? Non est Architectus, & quis Urbem condidit? Non est agricola, & quomodo agri tulêre manipulos? Non est Musicus, & quomodo in Mundi Lyra apparet concentus? Non est qui provideat, & quomodo per omnia pervadit Providentia? Non est Auriga, & quomodo quatuor Elementorum currus agitur? Non est statuarius, & quomodo homines veluti quædam statuæ in Mundo facti sunt? Non est fornicis constructor, & quis Tibi Cœli Fornicem construxit? Non est aurifex, & quis veluti discum aureum, tanquam in mensa, solem in Cœlo posuit? Non est, qui ferat lampadem, & quis tibi veluti lampadem argenteam, dedit lunam in noctem? Non est, qui illuminet, & quis tibi clara & lucem præbentia dedit luminaria? Non est qui faciat solus magna lumina, & quis accensos astrorum lychnos, tibi in Cœlo posuit? Non est opifex, & quomodo pulchritudo creaturarum testatur Creatorem? ex magnitudine enim & pulchritudine creaturarum convenienter earum Conditor consideratur. Dixit insipiens in corde suo non est DEUS; quæcunque in Mundo fiunt

agun-

aguntur & exercentur, habent qui eis præsit, eaquè perficiat; & solus Mundus non habet, qui eum administret? Si non est DEUS, quid facis in iis quæ DEI sunt? In domo DEI manes, & domum DEI inficiaris? Vel da mercedem domûs, gratiarum actionem; vel domô egredere. Cur etiam fumô eructati maledicti ac blasphemiæ, domum imples? Hæc S. Chrysostomus.

149. Propono iterum ex eodem S. aureo Doctore, pro immortalitate Animæ humanæ Argumentum, quod jam dederam fusiùs supra sub Quæstione V. fol. 24. num. 32. *Sunt quidam porcorum, hircorumq; instar abdomini affixi, & in res præsentes inhiantes, nihil restare post nostram ex hac vita demigrationem arbitrãtur adversùs eos ridiculum fortasis esset, quemadmodum contra insanos & è potestate sua exeuntes dicere, atqui vestræ charitatis causâ, cum illo disputabimus. Quid dicis ô homo! Si nihil est post hanc vitam* (id est si Anima simul cum corpore perit) *ne DEUS quidem est. Si DEUS est, Justus est, quod si justus sit; pro dignitate tribuet unicuiq;. Si nihil post hanc vitam sit, quomodo quod par est recipiet unusquisq;. DEUM esse res omnes clamitatn, atq; adeò justum esse, adeoq; necesse est, post hanc vitam aliquem esse locum, in quo pro dignitate sua recipiet unusquisq; & vel pœnas dabit, vel in honore erit, propter illa, quæ ab eo gesta sunt.*

150. Puncta hæc tria Superiùs annotata, aliaque omnia in hoc contenta Libro, attentè revolvant, seriò ac tempestivè apprehendant ij, qui vel insipienter negant Animæ suæ immortalitatem; vel de ea sunt dubii: cognitôque perniciosissimo suô errore (ut facilè cognosci potest etiam ex dictis) redeant Animô contritô ad Dominum DEUM suum, & confugiant ad sinum sanctæ Orthodoxæ Ecclesiæ, juxtaque illius præcepta, vitam, homine Christiano dignam, instituant, & ad finem usquè vitæ suæ temporalis, continuent; ad quòd prælucente, & adjuvante Divinâ gratiâ, inter alia, efficaciter juvare etiam poterit viva consideratio Tum illius Apophtegmatis, quod sanctus Augustinus Sermone 4to. de Verbis Domini, proponit: *Si tantâ curâ agitur,*

ut aliquantò plùs vivatur; quomodo agendum eſt, ut ſemper vivatur? Et, ſi prudentes dicuntur, qui omnibûs modîs agunt, ne perdant paucos dies; quàm ſtulti ſunt, qui ſic vivunt, ut perdant æternùm diem! Tum illius Doctrinæ, quam S. Tereſia, miraculorum gloriâ ante & poſt obitum Virgo clariſſima, pluribus inculcabat. *Memento, Te unam duntaxat habere Animam, eamq; immortalem; ac ſemel duntaxat te moriturum: nec à morte ad vitam eſſe regreſſum: Unam quoq; Te habere vitam, illamq; brevem, nec aliam, quàm illam, quâ modò uteris: ac poſtea unam ſolùm ſupereſſe gloriam, illamq; æternam; illi ergo vivere ſatage.* Juvabit proculdubio & intenſa ac debita conſideratio, Oraculi illius à Spiritu Sancto prolati, cap: 17. Eccleſiaſtici. *In omnibus Operibus tuis memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis.*

Omnes & ſingulos hujus Libri apices, Solius Creatoris mei Honori, Ejusq; Majori Gloriæ conſecro; Univerſa autem humana (ſi quæ hinc haberi poſſunt) ſolatia deleo, ac oblitero hâc ipsâ pennâ, quâ nunc hunc Librum finio.

INDEX.

Rerum notabilium, in hoc Libro continentur.

A.

ANimam humanam esse immortalem censuit tota Antiquitas omnium Gentium. *foliô* 1. *& seq:* seu à numero 1. ad 9. Nec non Philosophi Gentiles præcipui. *fol.* 8. *& seq: à numero* 12. *ad* 17. Inter quos &Aristoteles. *fol.* 109. *& seq: à num.* 130, *ad* 133.

Argumenta pro Animæ immortalitate. 1*mum*. Desumptum ex Oraculis Divinis cum solutione objectionum in contra. *foliô* 16. *& seq. à num.* 21, *ad* 30.

2*dum*. Ex Providentia & Justitia Divina, cum solutione objectionum in contra. *fol.* 24. *& seq. à num.* 31. *ad* 35. Hoc Argumentô usi sunt Sancti Doctores. Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus. imo & S. Petrus Apostolus: *num.* 32. *&* 33.

3*tium* Desumptum ex Bonitate divina. 4*tum*. Ex Benevolentia DEI. 5*tum*. Ex eo, quòd DEUS est Finis ultimus hominis. *fol.* 29. *& seq. à numero* 36. *ad* 39.

6*tum Argumentum* Desumptum ex Animæ præstantia. 7*mum* Ex eo, quòd Anima sit substantia spiritualis. 8*vum*. Ex Scientia, quâ præstat Anima. 9*num*. Ex Operationibus Animæ in somno elicitis. (Hoc Argumentô usus est S: Athanasius *num.* 44.) 10*mum*. Ex appetitu Æternitatis innato Animæ. 11*mum*. Ex eo, quòd Anima imitetur DEUM in intelligendo. 12*mũ*. Ex eo, quòd Anima producta sit ad Imaginem DEI. *fol.* 34. *& seq: à num.* 40. *ad* 48.

13*tium Argumentum* Ex Consensu omnium Gentium & sapientum. 14*tum*. Desumptum ex qualitate Personarum negãtium immortalitatem Animæ. *fol.* 44. *& seq: à num.* 49. *ad* 52.

15*tum*. Desumptum ex miraculis, quæ fiunt ad Sanctorum Martyrum Corpora. 16*tum*. Ex Apparitionibus mortuorum. *fol.* 47. *& seq. à num.* 53, *ad* 66.

17*mum*. *Argumentum* Desumptum ex eo, quòd negata immortalitate Animæ, sequanti multa grandia Inconvenientia. *fol.* 63. *&*

seq. à num. 68. ad 75. Insuper Rationes aliæ plures afferuntur pro immortalitate Animæ. *fol. 68. & seq. à num. 76. ad 85.*
Argumentum Demum Epicureismi eversivum proponitur in Quæstione XX. *fol. 116. à num. 139. ad 150.*
De Animæ Origine quid nam olim sentiebatur? & quidnam nunc jam certum hac in re? *fol. 80. num. 96.* Animæ humanæ sunt ejusdem speciei. *fol 91 num. 106.* Quãdonam Anima infunditur Corpori? *fol. 91. num. 107.*

C

Ciceronis notabile testimonium de immortalitate Animæ. *fol. 2. num. 2do & fol. 10. num. 15. Nec non fol. 34. num. 40.* Item Cyri Regis. *fol. 2. num. 3.*
Calvini enorme mendacium de Joanne XXII. *fol. 15. sub num. 20.* Nec non de aliis summis Pontificibus. *fol. 102. num 120.*
Concilii Lateranensis Decretum de Immortalitate Animæ. *fol. 19. num. 24.*
P. Comptoni notabilis adversio, dum proponuntur Argumenta de immortalitate Animæ. *fol. 73. sub num. 85.*
Cardani impietas grandis & errata gravia. *fol. 99. num. 116.*
Cartesius quis fuerit? Ejus doctrina disponit ad Epicureismum. *fol. 107. à num. 127. ad num. 129.*
Concilium Viennense definit Animam esse Formam Corporis. *fol. 112. num. 133.*

D.

DEUM O. M. esse Finem ultimum hominis, probatur. *foliô 32. numero 38. & 39.*
Definitio Animæ humanæ multiplex. *fol. 79. num. 93.*
DEI Existentiam eximiè demonstrat S. Chrysostomus. *fol. 122. num. 148.*

E.

Exstasim passi sunt naturaliter aliqui. *fol. 68. num. 76.*
De Epulone Christus Dominus locutus est quædam parabolicè. *fol. 90. num. 105.*
Epicuri ingens impietas & insipientia. *fol. 96. num. 112.*

G

Guinenses mortuo Rege, cur ejus equum & Familiæ partem interi-

teri-

terimunt? *fol. 4. num. 5.* (*fol. 8. sub num. 11*
Gentiles unde habuerunt notitiam de immortalitate Animæ?
Gennadius quanam ratione ab Angelo instructus de immortalitate Animæ? *fol 40. num. 45.*

H

Henricus IV. Rex Galliæ Fidem Catholicam cur amplexus? *folio 7. numero 10.*
Homo cur dicitur ad Immaginem DEI factus? *fol. 43. num. 48.*
Historiæ notabiles veteres & recentiores referuntur de Apparitionibus mortuorum. *fol. 49. & seq. à num. 55. ad num 66.*
Hæresis quid est? & quid Hæreticus? Est peccatum gravissimum Hæresis Christianus dubitans affirmativè de immortalitate Animæ, est Hæreticus. *fol. 93. & seq: à num 109. ad num 111.*
Historia notabilis de præcipuo Ministro statûs Regis Sveciæ. *fol. 102 num 119.*

I.

Japonensium errores de Animabus. *folio 4. numero 6.*
Immortalitatem Animæ quinam denegarunt? *fol. 12 & seq; à num. 18. ad 20.*
De Igne æterno & vita æterna, sectarionum erronea explicatio Scripturæ Sacræ. *fol. 18 num 23.*
Immortalitas est triplex. Qualisnam convenit Animæ? *fol. 73. & seq: à num 86. ad 89.*
Indivisibilitas convenit Animæ humanæ. *fol. 88. num. 102.*
Insania Atheistica non paucorum est. *fol. 101. num. 118. & 119.*

L

Liber hic de immortalitate Animæ, quare conscriptus? Ut legatur fructuosè, quidnam præstandum? Quid nomine Epicurei intelligitur? Gloriæ divinæ quantum ad extra accedit ex salute vel unius Animæ? Nil obest quòd multi scripserint de immortalitate Animæ S. Augustinus scripsit de immortalitate Animæ Librum, quid nam de illo sensit? *Hæc omnia vide in ipso Prologo hujus Libri.*
Libido disponit ad Epicureismum. Luxuriæ sunt octo filiæ. *fo. 103. & seq. à num. 121. ad 124.*

M. Mercu-

M

Mercurius Triſmegiſtus quiſnam fuerit? *fol. 11. nũ. 17.* Qualiter probat Exiſtentiam DEI? *fol. 121. num. 148.*

Mortuorũ apparitiones cur ordinariè non fiant? *fol. 82. & ſeq. nũ.* (98 & 99.

Machiavellii mrii execranda principia. *fol. 100. num. 117.*

O.

Oraculum Apollinis de immortalitate Animæ. *folio. 11. num. 16.*

Obectiones Plinii, Panetii, Lucretii, & aliorum Epicureorum ac Atheorum, adverſus immortalitatẽ Animæ, proponuntur & ſolvuntur. *ſol. 76. & ſeq. à num. 90. ad 107.*

P.

Propoſitiones quænam ſunt gradus ad Epicureiſmũ? *f. 113. & ſeq.* (*num. 136.*

Pompanatii ſententia quænam fuerit de immortalitate Animæ & Cœlorum influxibus? *fol. 112. num. 134. & 135.*

Puncta tria plurimum proficua ad conſiderandum propoſita. *fol. 116. & ſeq: à num. 139. ad num. 150.*

S.

Siamenſium error de Animabus. *f. 5. n. 7.* Sinarum Imperator qualiternam preces & vota ſua concludit? *f. 6. nũ. 8.* Sub ſenſus externos, quænam immediatè cadunt? *fol. 81. num. 97.*

Spirituale eſſe Ens, quidnam difinitivè? *fol. 92. num. 108.*

Sardanapalus quis fuerit? quare ſic dictus? *fol. 97. num. 113.*

Sadduceorum errores graviſſimi. *fol. 98. num. 115.*

Superbia ingens diſponit ad Epicureiſmum. *fol. 106. nũ. 125. & 126.*

De Simiis quisnam ſenſus multorum Gentilium in America? *f. 114.* (*ſub nũ. 137.*

T.

Theſes impiæ cujuſdam Neo-Ariani. *fol. 13. ſub num. 20.*

S. Tereſiæ & Divi Auguſtini monitîs ſaluberrimîs, item Oraculô Spiritus Sancti Concluditur Liber. *fol. 123. & ſeq. num. 150.*

Menda quædam Typothetica ſic emenda.

Pagina 3 verſu 8. lege, inſipiens *ibidem* v. 22. l. Univerſali. p. 5. v. 9. l. quoſvis p. 7. v. 13 l. Calviniſmo. p. 9 v 18. l. Ethnicis. p. 28 v 26. l. exſtingitur. p. 36. v. 30 l naturaliter p 39 v. 3 l. tardioribus. *ibidem* v. 11. l. argumentum. p. 54. v 1. l. poſuiſtis. p. 59 v 6 l. centum. p. 88. v 3. l. independens. p. 108. v 27 l pediſſequi p. 109. v 3 l. Carteſianæ p 111 v. 25 l Philoſophiæ. p. 115 v 2. l. in *ibidem* v 14 l. Cauſæ.

Stan przedmiotu			Wartość w wal. austr.	
bry	dni			

